

Disquisitio

de jure Borussiae in comita-
tus Mevssensem & Lingensem.

1703.

H. N. II
304



PAUL ADAM NACHFOLGER
KARL LION
KUNSTBUCHBINDEREI
DÜSSELDORF

DISQUISITIO
De
JURIBUS
REGIÆ MAJESTATIS
BORUSSIÆ

in
COMITATUS
MEURSSENSEM ET LINGENSEM,

cùm
Ratione domini ac proprietatis ;

tùm
Ratione possessionis ;

nec non
De foro hujus causæ.

COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,
Typis **ULRICI LIEBPERTI, REGII TYPOGRAPHI.**
MDCCLIII.

H. S. Dillhoff

Historisches Museum
der Stadt
Düsseldorf.

T. 304.

100

Pervagata jam est, quæ de Serenissimi ac Potentissimi M. Brit. Regis, GUILIELMI III. glor. mem. successione inter Serenissimum & Potentissimum REGEM BORUSSIÆ, & Sereniss.

PRINCIPEM NASSOVIVM, DN. FRISONEM, Gubernatorem Frisiæ & Groningia, vertitur causa, edita primùm ex parte Regiæ Maj. Borussia *Informatione summaria*; in quam ex parte Sereniss. Principis Nassovii, observationes quædam, sub nomine, *Korte Remarques*; atque in has iterum, nomine Reg. Majest. Borussia *Succinctæ elucidationes* conscriptæ, iisque compendio, ac referatâ uberiore deductione, ostensum fuit, omnia bona à Principibus Arausionensibus, Renato, Wilhelmo I. hujusque Coniuge Annâ Egmondanâ, & filio Frederico Henrico, relicta, fideicommissò familiæ universali & jure primigenituræ, cum horum Principum dispositionibus, tum antiquissimâ Illustrissimæ familiæ consuetudine, affecta fuisse, eoque jure nunc Regi Boruss. cessisse; cui libello nihil quicquam hætenus repositum fuit.

Interim verò Sereniss. ac Potentiss. Rex Borussia, ut, quàm propensâ esset ad concordiam tuendam litesque averruncandas voluntate, publicè significaret, assensit, ut de componenda causa, conciliantibus ac moderantibus Nobilibus Celsorum ac Præpotentium Fœderatæ Belgicæ Ordinum Dnis Deputatis ageretur, quorum assiduo ac indefesso studio

A cum

I.
Quæ ad notitiam
causæ de successione
Arausionensi, hætenus
publicè edita sint.

2.
Regiæ Maj. Boruss.
studium transigendi.

Oblatio Regis.

apprehenderat, atque ideo ratione possessionis nullum remedium nullaque actio Sereniss. Principi Nassovico competere poterat, eò tamen conciliandæ causæ studio ducebatur Regia Majest. Boruffiæ, ut, proponentibus præsertim Celsis & Præpotentibus Ordinibus, in horum maximè honorem permetteret tractari de rebus, in quarum possessionem, vice ejus quæ apprehensa fuerat, interim & ipse Sereniss. Princeps Nassovius mitteretur; additâ tamen testatione, cum Comitatus Meursensis, tanquam feudum Ducatus Clivensis, jure domini directi Regi cessisset, ne ejus loco portio æquivalens computaretur.

4.
Quousque ex parte
altera extensa.

Verùm hâc datâ occasione Domini Deputati Nassovici primùm eum terrarum modum postulârunt, qui redditu omnia utriusque Comitatus Meursensis & Lingensis, commoda æquaret; deinde verò, qui superaret: adeò ut hoc, ceu vocabant, æquivalens totam potestati Ordinum subjectam hereditatem, tum Philippi Wilhelmi, qui Wilhelmi I. filius major & heres universalis erat, tum Annæ Egmondanæ, cujus hereditas cum isto fideicommissio nihil commune habuit, ferè absorberet: Denique his omnibus tamen benignitate Regis concessis, optionem quoque terrarum sibi sumserunt, & imprimis quas Rex nominatim exceperat, in rei æqui-

æquivalentis partem flagitarunt, quò effectum est, ut res ista exitum hactenus non habuerit.

Est verò & alterum quod spem transactionis, ut vocant, provisionalis extinguere videtur; cum enim placuisset, quod nec ambigui juris est, ut, quæ liquida essent, ea invicem interim præstarentur, scilicet bona propria defuncti M. Brit. Regis & ipsius testamento relicta, Sereniss. Principi Nassovio; & vicissim, quæ propria Friderici Henrici fuerant, Sereniss. & Potent. Regi Borussiæ; omnia ferè hæc Friderici Henrici bona, etiam quæ extra controversiam posita videbantur, adeò in litem traxere, & præterea tantum onus, detractionum & æris alieni nomine eis imposuere, ut exinanitam atque exhaustam penitus hereditatem, quàm eâ plus oneris quàm commodi Rex suscepturus esset.

Cum igitur hoc pacto nulla tractatus provisionalis explicandi spes appareat, causa ipsa iterum assumenda videtur, & removenda in primis, quæ ejus tractationi jam coeptæ remoram iniecerat, exceptio de cedenda interim possessione Comitatus Lingensis & Meursensis. Initio enim, ut dictum, id agebatur, ut de ipsa causâ transigeretur: hoc verò consilium negotiumque interpellatum est ex parte Nassovica obtentu restitutionis utriusque prædicti Comitatus, eaque occasione discessum ad tractatus provisionales. Hi igitur cum eventu destituti sint, res ad initium tractatum rediit, quæriturque jam,

Utrum Sereniss. & Potentiss. Rex Borussiæ in possessione utriusque Comitatus interim tuendus, an verò Sereniss. Princeps Nassovius eorum possessionem aliquo remedio vindicare possit.

Id verò tribus Capitibus absolvetur. 1. De juribus Regis in utrumque Comitatum. 2. De possessione eorum ritè apprehensâ. 3. De foro hujus causæ ejusve expediendæ rationibus. Sequitur igitur

5.
2. Disputationes de totâ propè portione & bonis Friderici Henrici.

6.
Spe provisionaliter transigendi ferè confirmatâ, redit res ad questionem; an Serenissimus Rex Borussiæ in possessione Meurs & Lingens tuendus.

7.
Capita tractandorum.

CAP. I.

De Juribus Reg. Maj. Borusfiæ in Comitatum Mœursensem & Lingensem.

8.

Comitatus Meurs antiquum feudum Ducatus Clivenfis.

Vel ex publicis, & qui in vulgus editi ac impressi sunt, annalibus constat, Comitatum Mœursensem esse feudum Ducatus Clivenfis, quod jam anno 1287. Comites Meursenses à Comitatu, deinde Ducatu Clivenfi, in Feudum recognovère. *Vid. Tract. cui titulus, Public Gebeth, ofte Consideratien tegens het nominatim bidden in de publike kerken &c. editum anno 1663. pag. 131. & seqq. Teschemach. Annal. Jul. Cliv. fol. 344. & seqq. Merian. Topograph. Westph. fol. 88.*

9.

Lis inter Dominum feudi Ducem Cliviæ & Walpurgim, de caducitate feudi extinctis masculis.

Constat quoque extinctis Comitibus de Meurs, relicta unicâ feminâ Walpurgi, quæ Adolfo, Comiti de Nieuwenæer nupta fuit, litem inter eam & dominum feudi, Wilhelmum Ducem Cliviæ, de hoc feudo ortam fuisse, Domino, masculis extinctis, sibi apertum feudum contendente; Walpurgi autem sibi id delatum asserente. In quâ causâ domini intentionem, propria feudorum natura fundabat, quæ suâ naturâ non nisi ad masculos pertinent, nisi foeminae probent esse improprium feudum, quod in foeminas quoque cadere possit. *Per text. in 1. F. 1. §. hoc autem. 1. F. 8. §. fin. 1. F. 13. vers. etsi Clientulus. 2. F. 23. in fin. 2. F. 2. §. fin. in verbis: Si Vasallus per pactum speciale contra feudi consuetudinem allegat, velut de filiarum successione, liceat ei tenorem, si potest, sicut investituram probare, &c.*

10.

De qua transactum sub lege restituendi, eâ sine liberis mortuâ, feudi.

Verum de lite hac transactum anno 1584. fidesque data bey Fürstl. und Gräffl. wahren Worten und Ehren / an Endes stat / Walpurgi sine liberis ex eo matrimonio natis mortuâ, Comitatum ad Ducem Cliviæ, Wilhelmum, pleno jure reversurum, subditosque interim homagium Domino in eventum præstituros esse, prout ipsi Principes Arausionum hanc trans-

transactionem allegant, atque agnoscunt, sed vi metuque extortam in vanum fingunt, de quo deinceps.

Neque verò conditio homagii pacto tantum adjecta, sed & in effectum deducta, & d. 7. Aug. ejusd. ann. 1584, Comite Adolfo Ducem Wilhelmum in finibus Comitatus honoris causâ recipiente, homagium Duci à subditis præstitum fuit: quæ latius ex Actis hauriri possunt.

Deinde verò Adolfus Comes, bello inter Hispanos & Fœderatos Belgii Ordines fervente, horum partes amplexus, in horum castris sub Principe Mauritio contra Hispanos militavit, eoque facto eos sibi hostes concivit: qui nec moram fecere, quin in Comitatum hostiliter irrumperent; quem & armis sub Duce Parmensi anno 1586. totum occuparunt ac vastârunt, & Domino quoque plurima damna dederunt. Quæ hostilis Hispanorum invasio & occupatio Comitatus tum ex Actis, tum ex annalibus publicis notoria est. *Vid. Auctor. §. 1. sup. alleg.*

Hic verò quis satis mirari possit frontem hujus Comitatus, qui cum tot injuriis & feloniarum generibus laceffivisset Dominum, suòque facto causam dedisset hostili Hispanorum invasioni, qui alioquin Principum ac Comitum Imperii hostes non erant, ausus est querelam felonix adversus dominum in Camera Imperii movere, quòd Comitatus ipsius Hispanorum armis occupatus, nec à domino ipse defensus fuisset, eoque nomine citari fecit dominum ad Camera, ad videndum privari se dominio directo. Verùm quemadmodum per summum juris judicii que ludibrium id factum fuit, ita & à Camera meritò rejectus est, nihilque obtinuit; sed eo deinde mortuo, vidua Walpurgis anno 1590. renovationem investituræ à domino petiit, feudumque ab eodem denuò recognovit.

Hæc porrò Walpurgis, mortuo marito, & ipsa Mauriti Principis partes secuta, ab eo obtrivit, ut anno 1597. expulsis Hispanis Comitatum armis recuperaret: quem tum ipsa, invito & acriter

II.
Interim Domino præstitum homagium.

12.
Adolfus, maritus Walpurgis, federato Belgio militat, eoque Hispanorum in se arma concitat.

13.
Tum, occupato ab hoste Comitatu, Dominum in Camera felonix postulat, quòd se non defenderit, ubi rejectus.

14.
Eo mortuo Walpurgis, itidem addicta Mauriti partibus, ei Comitatum donat invito domino.

contradicente domino, eidem Mauritio inter vivos donavit, & moriens testamento reliquit, atque ita & fidem transactionis anno 1584. initæ, de restituendo, se sine liberis mortuâ, Comitatum Duci Cliviæ, *sup. §. 3.* tum fidelitatem Domino denuo anno 1590. juratam, sefellit atque elusit.

15.

Hac feloniam feudum domino apertum, nullam præscriptione obstantem.

Hæc verò feudi alienatio invito & contradicente Domino facta, cum ipso jure nulla ac irrita est, tum eò facto manifestissima denuò felonia commissa, & feudum domino apertum fuit, adeò ut dominus quocunque tempore alienationem hanc revocare, feudumque vindicare possit, nec ullius temporis præscriptione excludatur ejus persecutio: prout illud expresso jure feudali sancitum esse constat in 2. F. 55. princ. in verbis: *Hujusmodi alienationes illicitas, hæcenus perpetratas, hæc præfenti sanctione cassamus & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente: quia quod initio de jure non valet, tractu temporis convalescere non debet, &c.*

16.

Mortuam Walpurgi Dominus ingreditur in possessionem feudi.

Mortuam igitur d. 25. Maj. 1600. Walpurgi sine liberis, Dux Cliviæ, ceu dominus directus, optimo omninò jure Comitatum hunc sibi asseruit, possessionemque ejus apprehendit, tum per iteratas transactiones, tum per iteratas felonias, tum verò inprimis, quòd nulli planè superessent heredes feudales, Walpurgi sine liberis defunctam. Neque verò ulla harum causarum in dubium vocari, omnium minimè verò ambigi poterat, quin feudum, ubi nulli heredes feudales, nulli Vasalli supersunt, ad dominum reverti debeat.

17.

A Mauritio vi expellitur; cum quo transigit de Comitatu sibi restituendo potest ejus mortem.

His tamen non obstantibus Princeps Mauritius milite Belgico expulit Ducem, & oppidum ac Comitatum vi occupavit. Quæ cum manifesta nimis injuria esset, quam nec Dux ferret, nec eo nomine querelas movere desisteret, anno 1606. inter eos transactio inita, eaque cautum fuit, ut cives Meursenses mediis essent, & castro præsidium 200. militum à Mauritio imponeretur, eo verò mortuo Comitatus

Duci

Duci restitueretur. *Merian. d. tract. fol. 88. Tract. Public. Gebeth, pag. 132.*

Neque tamen, defuncto anno 1625. Mauritio, Comitatus iste, ut promissum fuerat, restitutus est Duci Cliviæ: eò enim tempore & deinceps maximè calebat, quæ de his Ducatibus, post Johannis Wilhelmi, ultimi Ducis Juliæ ac Cliviæ mortem, eruperat contentio, fuitque tum, & ferè usque ad Pacem Monasteriensem, afflictissima eorum possessio, Ordinum Belgii fœderatorum & Principis Friderici Henrici ope plurimum defensa. Non ferebat igitur eorum temporum ratio, feuda Ducatus ab aliis potentissimis possessoribus vindicare, ipsius Ducatus possessione nondum satis firmata.

Cæterum inprimis observandum est, neque Mauritium, neque Fridericum Henricum unquam pleno jure Comitatum hunc sibi asseruisse, sed contra, utrumque, eum ut feudum Ducatus Clivensis agnovisse, nec alio jure vel accepisse vel tenuisse; idque manifestissimis rerum argumentis proditum est.

Nam &, cùm Mauritius primùm ex donatione Walpurgis Comitatum adeptus est, expressè sua Ducatui Clivensi jura reservata sunt, & homagium, nec aliter à civibus Meursensibus præstitum, nec à Mauritio receptum est, quam juribus illis exceptis. Hoc patet ex articulis & conditionibus, quas cives & incolæ Comitatus Meursensis, & Dynastiæ Unemersheim, ante præstationem homagii obtulerunt Mauritio, cùm hac inscriptione.

Articulu / so Sr. Excellenz / auff den begehrten End / und nach vorgelesener Donation von weyland der Wohlgebohrnen / unser gnädigen Frauen / Fr. Walpurgin / Gräffin zu Nieuwener / Meurs und Horn / vor der Huldigung in Unterthänigkeit sind übergeben worden.

Tum deinde in art. Erstlichen zc. sic cavent:

Daß der begehrte End keiner andern Gestalt von ihnen kan gefördert werden / dann daß solcher

18.

Non facta restitutio.

19.

Mauritius & Fridericus Henricus semper Comitatum agnovissent esse feudum Clivense.

20.

In articulis homagii Mauritio præstiti expressè reservata Ducatus Clivensis jura.

cher End dem Heil. Röm. Reich / auch Fürstl. Gnaden zu Cleve zc. als Lehen-Herrn / auch allen andern Interessenten / welche mit Recht oder mit Gewalt in ihren Rechten obliegen würden oder möchten / zu Nachtheil nicht solle verstanden werden / und auf solchen unverhofften Fall der gethane End den sämbtlichen Unterthanen unverweißlich seyn / zc.

Quibus respondit Mauritius d. 9. Mart. 1602.

Wir Mauritz / Prinz zu Suranien / zc. bekennen zc. daß wir zc. daruff folgender gestalt gnädig erkläret und versprochen haben; Zum ersten / daß obgemeldter Unterthanen Remonstranten Uns gethane End / dem H. Reich oder jemanden anders in seiner Berechtigkeith nicht soll oder kan verkürzen oder vernachtheilen / so viel dieselbe mit Recht gegen Uns erhalten und gewinnen könten / zc.

Patet itaque, Ducem Cliviæ Dominum directum Comitatus, & pro eo habitum agnitumque tum fuisse,

21.

Fridericus Henricus
ejus investituram quo-
que petiit.

Sic & successor Mauriti, Fridericus Henricus, adeò Comitatum hunc agnovit esse feudum Ducatus Clivensis & Imperii, ut omni ope id egerit, ut ejus investituram consequi posset: Hinc enim, cum sciret, eam à Domino immediato, Duce Cliviæ, se impetrare non posse, quippe qui negabat feudum hoc ad eum pertinere, & proinde omninò investituram denegaturus erat, consilium cepit, eam ab Imperatore ipso, ceu indubitato feudi domino superiore & mediato petendi, veritus ne mora ipsi officeret.

22.

Et cum à Duce non
impetraret, Legatum
Viennam misit, ut ab
Imp. obtineret.

Eum ipsum in finem igitur anno 1636. consulto mandatarium Viennam ad Imperatorem misit, eique specialiter in mandatis dedit, ut à Cæsare investituram Comitatus peteret, atque hanc causam allegaret, quòd Comitatus à Ducibus Cliviæ in feudum dari consuevisset; *Dat die Statt, Slott en Graeffchap Meurs met de appendentien van dien NB. van de Hartogen van Cleef uytgegeven syn geweest tot een rechten gewissen Erffleen met expresse Conditie, dat het selve*
by

by gebreck van mannelyk hoir ook soude mogen succederen op de Vrouwen. Quam totam mandati & negotii feriem prolixè describit Aizema (cognatus ejus, qui ad Imperatorem petendæ investituræ causa missus fuit) *Hist. lib. 16. edit. in fol. pag. 314. & edit. in quart. fol. 498.* ubi exhibet de *Instructie by Frederic Henric, Prince van Orange, aen Ayzma naer Weenen mede gegeven.* Ex quâ apparet, quàm indubitatum Ducatus Clivensis feudum hoc à Friderico Henrico habitum fuerit, & quàm idè necessarium ille duxerit, ejus investituram petere, & moram nondum factæ excusare, quin & causas ejus, scil. tum controversias cum Ducibus Cliviæ de hoc Comitatu, tum de ipso Ducatu contentiones allegare.

Idem ad eundem modum refertur *in tract. Publicq Gebeth &c. pag. 133.* qui, cùm in paucorum manibus sit, hæc ejus verba hic describi è re visum est.

23.
Quod & alio publico monumento confirmatur.

Ende is by overlyden van denselven (Prinz Mauriz) het voorschreve NB. Leen (Mœurs) op den alsdoen Heere Prince van Orange (Frederic Henric) gedaelt, sonder dat denselven, gelyk mede niet die hooghg. Prinz Mauriz (soo vermits de voorschreve vyantschappen, als dat sich tot dien tydt toe, en nogh daernaer verschyde pretendentes tot het voorschreeve Hartogdom van Cleeve hebben geopenbaert) behoorlyke investiture van het voorschreven Graeffschap hebben konnen bekomen. Ende alsoo S. Excell. den Heere Prince van Orangie NB. het voorsch. leen niet gaerne langer sonder investitur wilde besitten, is Hy te Raede geworden, aen den Kaiser als oppersten en ontweyffelyken Leenheer te versoeken, dat hem gelieven soude S. Exc. van hemselven ende syne rechte Erven mannelyk, ende by gebreke aen het vrouelyk geslagte in Conformiteyt van NB. de oude Leenbrieven, met de voorsch. Statt, Slot en Graeffschap Mœurs, mitsgaeters de appendentien van dien, te investiren ende beleenen: mitsgaeters tot hooghste macht te releveeren NB. van alle ver-

B

suyme-

suymenisse, die by S. Excell. Prince Mauriz, ende Vrou Walbourg voorsch. int geene voornoemt is, respectyvelyk begaen soude mogen syn, &c.

Deinde pergit :

Of well van dese negotiatie ende memorie niet gevallen en is, so is evenwell uyt de selve afneemen, van wat natur dit Graeffschap Maurs is, ende met wat titul den Prince dat is possedrende &c.

24.

Cum nec hoc consilium succederet, cum Philippo Rege egit, ut à Cæsare impetraret, Comitatum, aliis terris auctum, in Ducatum erigi, sibi que in feudum dari.

Hoc verò negotium in Aula Cæsarea, ut modò apparuit, in cassum fuit. Et sanè, nimis jurium Imperii ac feudalium imperitos fuisse oportet hujus Consilii Autores, quòd putaverint, investituram Vassallis ab alio quàm proximo domino dari potuisse. Cum igitur hæc via quærendæ investituræ feudi hujus non succederet Friderico Henrico, aliud postea consilium fabricatum fuit anno 1647; etenim cum Rege Hispaniæ egit, ut is, interpositis apud Imperatorem officiis suis, ab eo impetraret, erigi Comitatum hunc cum aliquo terrarum augmento in Ducatum, sibi que hoc pacto in feudum dari. Quod quidem & Rex Hispaniæ suscepit, adeò ut ipsa Pace Monast. inter Hispanos & Fœderatos Ordines inita, articulus iste, pacti instar, comprehensus sit; Verùm non magis, imò minùs hoc successit aut succedere potuit quàm alterum. Et hoc quoque pluribus exponit *Aizema Hist. lib. 28. fol. 498.* Adeò Principes Arausionum Comitatum istum pro feudo Ducatus Clivensis agnoverunt, & adeò non alio quàm feudi Imperii nomine eum se possidere putarunt.

25.

Non potuisse Mauritium ullum possessionis suæ titulum allegare, quàm vim & donationem Vassalli invito domino factam per feloniam.

Ex dictis autem porrò liquet, Mauritium non potuisse ullum possessionis suæ titulum validum edere. Quem enim allegaret? An occupationes illas violentas & armatas? An gesta cum Adolpho & Walpurgi? Cum verò inter Imperium ejusque Principes, & Fœderatos Belgii Ordines aut Principem Arausionum nullum tum bellum fuerit, Adolphus verò & Walpurgis Vassalli Ducis Cliviæ essent, occupatio-

pationes illæ vis sunt, quâ extra legitimum bellum jus non quæritur, sed si quod est, tollitur. *l. 13. ff. Quod. met. caus.* Gesta verò à Vasallis, donando Comitatum &c, feloniam, quâ feudum ad dominum revertitur. *2. F. 24. in fin.* Alium verò titulum allegare nequeunt.

Esto verò nullas transactiones de restituendo Comitatu esse factas, felonias non esse commissas; donationem à Walpurgi Mauritio factam jure validam & ratam, & Mauritio feudum ritè quæsitum fuisse, nihilominus tamen dudum id domino directo apertum fuit, Mauritio scilicet, cui donatum fuit, sine liberis mortuo; cum notissimo jure feudali nec collaterales primi acquirentis, nec testamentarii heredes in feudis succedant, sed deficientibus heredibus feudalibus ad dominum id revertatur. *Vultej. de Feud. lib. 1. c. 11. n. 7.*

Non minus id usu venit mortuo novissimè Guilielmo III. M. Brit. Rege nullis relictis liberis. Sive enim nulli supersint idonei heredes feudales, feudum cedit Sereniss. Regi Borussiæ, ceu Duci Cliviæ & domino directo: sive supersint, ad eundem pertinebit, quippe successorem & heredem proximum, per manifestissima jura Imperii & feudalia, cum ex majore filia natus sit, eamque adè in feudis individuus & primigeniis repræsentet. Igitur mortuo Rege M. Britanniæ gl. mem. necessario succedit Reg. Majest. Borussiæ sive ut dominus directus, sive ut proximus feudi heres.

Planè verò mirum est, ex parte Serenissimi Principis Nassovii quicquam hujus Comitatus nomine moveri; cum nihil certius sit, quàm ipsum in hunc Imperii Comitatum ac feudum neutiquam succedere, nec ullam eo nomine actionem habere posse, quia ipse non nisi ex testamento heres est, quod fieri de feudis sine consensu domini non potest, sed, si fiat non accepta testandi potestate, (Octroy) irritum planè ac nullum est. *1. F. 8. princ.* Cum igitur Sereniss. Testator, Rex Angliæ, Beatiss. mem. talem potesta-

26.

Et si esset titulus, & feudum Mauritio ritè quæsitum, tamen eo sine liberis mortuo, apertum fuit domino.

27.

Idem contigit mortuo Guilielmo III. Rege Angliæ.

28.

Serenissimo Principi Nassovio non posse ex Testamento defuncti Regis in hoc feudum Imperii ullum jus natum videri, sed ei ob stare exceptionem, Adversus ipsum liberas ædes haberi.

tem neque ab Imperio acceperit, nedum à domino feudi, adeòque de hoc Imperii Comitatu ac feudo neutiquam testari potuerit, nulla specie feudum illud ex hoc testamento, aut ab eo qui nullum jus nisi ex eo testamento habet, peti potest; sed adversus eum perpetua est exceptio; *Ipsi non competit actio, sed adversus ipsum liberæ ædes habeo.*

29.
Objectiones Mauriti
ritii tres.

Tam certis juribus ex parte Mauritiæ oppositum fuit. 1. Comitatum hunc tum donatione inter vivos, tum ex testamento Walpurgis ad se pervenisse. 2. Ducem Cliviæ excidisse dominio suo, quod non protexisset Vasallum contra invasiones Hispanorum. 3. Transactionem Adolphi vi metuque extortam fuisse. Mirum verò est quàm maxime, hæc tam vana ac inania, allegata, & Generosissimo Principi suggesta fuisse. Compendio respondetur.

30.
Resp. ad 1. Donatio-
ne Walpurgis non
quæsitum, sed amissum
feudum.

Ad primum: Cum sine consensu domini feudi facta sit ista donatio, & hæc ipso jure nulla ac irrita, & per eam felonia commissa est, quâ feudum non acquisitum sed perditum fuit.

31.
Resp. ad 2. Comi-
tem Adolphum autorem
inimicitiarum fuisse,
nec Domino quicquam
imputari potuisse.

Ad alterum: (1) Jam dictum est, Comitem bello partes Ordinum fœderati Belgii secutum, & suo adeò hoc facto causam invasionibus Hispanorum dedisse; cum enim illis cum Imperio & Imperii Principibus nullum bellum esset, sed è contrario omni ope id ageret utraque belligerantium pars, ut cum Imperii Statibus jura mediæ religiose custodirent, Comes hoc facto suo Hispanos sibi & domino hostes fecit. Quin, ut ex relationibus actorum apparet, Dux Wilhelmus dehortatus est Comitem ab illo consilio, obtulitque, se oppido Meurs & arci Krakau præsidium militum impositurum, Ipse verò Comes his omnibus spretis militavit Statibus Belgii, eoque effecit, ut non Comitatus tantum ipsius vi occupatus, sed & terræ Ducis ac domini directi bis igne ferroque direptæ vastatæque fuerint: adeò ipse & sibi & domino mali causa fuit. Hinc (2) sequi, ex hoc facto non Vasallum contra dominum, sed hunc contra Vasallum ad privationem feudi & felonix nomine agere

agere posse, qui hoc facto suo hostem domino concivit ac plurima damna intulit. Ridiculum verò est (3) adigere dominum, & quidem Ducem Cliviæ, ut adversus Potentissimum tum totius orbis Regem arma indueret, Vasalli tuendi causâ. Felonia sine dolo vel culpa non committitur, 1. F. 21. pr. nec tenetur dominus defendere Vasallum cum pernicie sua, nec, si non potest. 2. F. 7. verb. pro posse meo. Quin (4) nec suas, nedum Vasalli terras dominus à vastitate tueri potuit, ut dictum; Denique (5) Comes queri de ea re in Camera non dubitavit; cum igitur nihil ibi obtinuerit, frustra id nunc allegatur.

Ad tertium (1) Querelam de vi & metu post annum utilem, vel saltem quadriennium continuum, moveri amplius non posse. *L. fin. & tot. tit. C. de Temp. in int. restit.* (2) Vim in Rep. non præsumi, sed plenissimè probandam esse. *L. fin. ff. Quod. met. caus.* Nec (3) sufficere metum nisi justum & gravem, & à vi injusta illatum, eaque omnia probanda esse. *L. 3. §. 1. L. 5. L. 6. ff. eod. tit.* (4) Transactione illa contineri, ut mortuâ sine liberis Walpurgi, quæ sola tum ex stirpe Comitum Meursensium superfuit, feudum rediret ad dominum: hoc cum & sine transactione ipso jure fieri necesse esset, extinctis quippe heredibus feudalibus, quæ injustitia, si, quod potestate juris fieri oportet, in conventionem deducatur? (5) Metum verò qui Comes allegare potuit, nedum docere? Cum enim ausus ille fuerit adire Cameram & postulare dominum felonix propter omiffam defensionem contra Hispanos, quos tamen ipse facto suo excitaverat, quid ille veritus fuisset eundem judicem adire, si dominus vi atroci (qualis requiritur *d. L. 3. §. 1.*) eum cogere ad transactionem voluisset. (6) Et si fileat tota illa transactio, & pro non facta habeatur, aliæ plurimæ causæ jam allatæ sunt, quibus Comitatus indubitatè Regiæ Majest. Borussiae asseritur.

32.
Resp. ad 3. ubi ostenditur quàm inepta fuerit Comitum querela ad Cameram.

Ad Eam igitur manifesto jure pertinet Comitatus non tantum (1) ex transactione Adolphi, *sup. §. 10.*

33.
Summa capitum quibus Comitatus Meurs asseritur Regi Borussiae.

sed & (2) ex transactione ipsius Mauriti. *sup.* §. 17. Et (3) ex felonia iterata. *sup.* §. 12. 14. 15. (4) Quia apertus domino fuit, Walpurgi (quæ ultima fuit ex familiâ investita) sine liberis mortuâ; *sup.* §. 16. & iterum (5) Mauritio (qui suæ familiæ primus fuit) sine liberis mortuo: *sup.* §. 26. Et rursus (6) Guilielmo III. Rege Angliæ sine liberis, & nullis aliis relictis heredibus feudalibus, obeunte. *sup.* §. 27. (7) Quia ex adverso Serenissimo Principi Nassovio nulla competit actio. *sup.* §. 28. Quibus accedit (8) testamentum Friderici Henrici, qui hætenus non opus habuit concessione Domini, quatenus Dominum ipsum instituit.

34.
Jus Reg. Majest.
Borussiæ in Dynastiam
Friemersheim, quæ ab
Abbatia Weerden in
feudum recognoscitur.

Nec parum momenti affert par propè ratio DYNASTIÆ FRIEMERSHEIM, quam Comites Meursenses ab Abbatia Weerden in feudum olim recognoverunt; sed Hermanno Comite mortuo solâ sorore Walpurgi superstitite, ad Dn. Abbatem terra ista cum aliis bonis rediit, qui hæc Dynastiâ Friemersheim cæterisque bonis *d. 4. Mart. 1579.* Ducem Cliviæ Wilhel mum investivit: quo mortuo filius ipsius eandem investituram anno 1601. & deinde iterum anno 1608. renovavit.

35.
Eam cum Comitatu
Meurs sibi arrogavit
Mauritius:

Mortuâ verò Walpurgi, cui non nisi ususfructus speciali pacto relictus fuerat, Princeps Mauriti us, in quem quàm profusa ex alieno VValpurgis fuerit, jam expositum est, unâ cum Comitatu Meursensi hanc quoque Dynastiam sibi arrogavit, & tandem Principes Arausionum, quam ratione Comitatus Meursensis ab Imperio frustra sollicitarunt investituram, ratione prædictæ Dynastiæ à Dn. Abbate, etsi nullo jure, superstitibus quippe Ducibus Cliviæ feudatariis, obtinuerunt; idque eò facilius, quòd per ista tempora ferveret illa de Ducatu Cliviæ inter plures partes contentio.

36.
Sed vindicavit Se-
reniss. Elector Brand.
obtentâ investiturâ ad
effectum agendi.

Verum jam anno 1648. Sereniss. Elector Branden burgicus, gl. mem. cum prædictam Dynastiam Friemersheim cum cæteris ejusdem Abbatix feudis insignibus, suo Ducatui Cliven si vindicaret, investi-
turam

turam eorum ad effectum agendi obtinuit, eamque deinde anno 1668, & iterum 1681, ad eundem effectum agendi renovavit, jamque mortuo Guilielmo III. Rege Angliæ nomine Reg. Majest. Borussiæ eorum investitura à D. Abbate rite repetita est.

Quemadmodum igitur Duces Clivenses domini directi sunt Comitatus Meursensis, ita Domini utiles Dynastiæ Friemersheim, & pari adeò ratione non potuit superstitionibus Ducibus Clivensibus investitura à D. Abbatis VVerdenensis comprehensis, in horum præjudicium dynastia illa vel à VValpurgi, vel à D. Abbate in alios transferri, nec, cum illa quoque feudum sit Ecclesiæ VVerdenensis, Serenissimus Princeps Nassovius ex testamento defuncti M. Brit. Regis, qui nullam à Domino de hoc feudo testandi potestatem acceperat, ejus nomine actionem habere. Denique etsi quid juris Principes Arausionum habuissent, itidem vel morte Mauriti, & nunc iterum morte Guilielmi III. Regis, siquidem sine heredibus feudilibus decesserunt, exspiravit, vel ad Sereniss. Regem Borussiæ qui proximis in feudis individuis heres est, transit: atque adeò ipsi in quemcunque eventum, uti in Comitatum Meursensem, ita in Dynastiam Friemersheim certum jus quæsitum fuit.

Atque hæcenus de Comitatu Meursensi;

Sequitur,

De

COMITATU LINGENSI.

Hunc Comitatum ab omni, quâ annalium memoria patet, ævo, ad Comites Teklenburgicos pertinuisse constat. Species & occasio eos spoliandi Comitatu fuit foedus Schmalcaldicum: Deferebatur enim Comes apud Carolum V. quod socius hujus foederis & belli, adversus eum anno 1546. gesti, esset; quo nomine, etsi nunquam causa cognita, vel ipse auditus fuisset, perduellis declaratur, & executio Maximiliano Comiti Bürensi mandatur.

Irruptione igitur *d. 24. Jan. 1547.* in Comitatum

Tek-

37.

Mortuo Guilielmo III. Rege, omne jus Arausionum Principum, si quod fuisset, extinctum est, proximeque succedit in feudum Dux Cliviæ.

De Comitatu
Lingen.

38.

Pertinuit Comitatus ab omni memoria ad Comites Teklenburgicos: Occasio eos spoliandi fuit foedus Schmalcaldicum.

39.

Irruptio Comitis Bürensis in Comitatum,

& transactio ut Linga pignoris loco teneretur, quoad satisfactum esset.

Teklenburgicum ex improvise facta, & pervastatis ferro & igne terris, postridie, *sc. d. 25. Jan.* officiales Cæsarei literis diffidatoriis vocarunt Comitem, non ut responderet, sed ut intra tres horas se cum terris suis dederet. In quibus angustiis Comes missis ministris suis in has condiciones *d. 27. Jan.* consensit, ut à Cæsare veniam & gratiam humillimè peteret, 15000. nummorum uncialium tribus pensionibus solveret, & interim, donec satisfactum esset, pignoris loco, **Geißels weise**/castrum & oppidum Lingense traderet.

40.

Cui addita solennis cautio de restituenda Linga.

Expresse autem *art. 7.* lex addita fuit, ut his impletis Lingense territorium integrum sine mora Comiti restitueretur; his verbis:

Wollen wir alsobald das Haus Linge wiederumb in aller massen wie wirs entpfangen, dem Graven wieder zustellen, und ohne Verbinderung überantworten.

Unde & inventarium rerum confectum fuit, ut sine ulla imminutione restitueretur, *vi art. 5.* his verbis:

Doch soll alles inventirt, und dem Graven gar nichts davon genommen werden.

Nec tantum ipsis articulis conventionis id insertum, sed & præterea literis reversalibus, ut vocant, quæ, *d. 27. Jan.* à Cæsareis Legatis & Officialibus datæ, & 8. sigillis ac subscriptionibus munitæ sunt, solenniter, *by ihren Ehren, Trewen und Glauben,* de restitutione Lingæ repromissum cautumque fuit.

41.

Secuta satisfactioe restitutio morata quidem, sed adhuc promissa fuit.

Exsolutâ jam omni pecuniâ conventâ, paratoque ad veniam petendam Comite, mora sit restitutioni, ita tamen ut adhuc contestarentur præsidii Lingensis Præfecti, se non nisi Comitibus nomine Lingam tenere, nec cuiquam alii quàm ipsi restituros esse: quæ de causâ quoque 1000. florenos aureos, **Gold-Gulden**/ ab eo exegere.

42.

His tamen non obstantibus Comes Bürensis prætextu pristinae Commissionis, satisfactioe jam abolita,

Verum his omnibus non obstantibus, prædictus Maximilianus, Comes Bürensis, qui jam spe & animo præceperat Lingense dominium, prætextu pristinae Commissionis *d. 18. Oct. 1546.* injunctæ, quæ tamen transactioe & plenissima præstatione eorum, quæ de-

deinceps transacta erant, penitus abolita esset, non tantum contra fidem à Ducibus Cæsareis datam, Lingæ oppidum & castrum invasit, & 23. Jul. 1547. occupavit, sed & ipsum Comitem ceu perduellem, omnesque ejus terras porro persecutus, & emissis publicè literis patentibus arma omniaque hostilia minitatus, eò Comitem terrore armorum & ultimæ crudelitatis metu adegit ac compulit, ut Lingâ, & præterea 4. pagis, *Jppenbühren/ Brochterbeck/ Metztingen und Recke/* nec non actionibus, quas adversus Episcopatum Monasteriensem habebat, huic Maximiliano cesserit, & insuper 25000. Imp. solverit: quo facto, Maximilianus paulò post, & scilicet eodem adhuc anno 1547. mortuus est, relictâ filiâ unicâ, quæ deinde Wilhelmo I. nupsit.

Hujus tutores & amici cum viderent Lingam jure retineri ac defendi non posse, eam deinde potentiori, scilicet Philippo II. Regi Hispaniarum, venderunt procurante & parariâ Mariâ, Gubernatrice Belgii: Rex verò iste, eam deinceps donavit iterum Wilhelmo I. in cujus hereditate quoque inventa, ac in divisionem bonorum ipsius à filiis deducta est.

Interim Comes Tecklenburgicus de hac vi & extorsione, metu per obitum Maximiliani paululum remittente, illicò graviter conquestus ad restitutionem egit, nec conqueri & agere hæctenus destitit. Primum enim d. 12. Aug. 1548. literis publicè editis testatus est, se invitum, & vi atrocissimâ ac metu hostilium, vastitatisque omnimodæ coactum atque compulsus, transactionem illam iniisse, atque adeò cum neutiquam eâ conventionem jure obligetur, eandem revocatum velle.

Tum deinde d. 22. Junii 1550. in Comitibus Augustanis querelam ad Cæsarem, & d. 22. Aug. ad Regiam Mariam Gubernatricem Belgii, atque unâ ad Status Imperii in variis, & denique Ratisbonensibus Comitibus detulit; quibus publico Statuum Imperii consensu anno 1555. decretum fuit, ut Rex Rom. Ferdinandus I. tum Imperii Vicarius, adiretur, & à Fra-

vi Comitatum 4. pagis eripuit Comiti Teckl. & mox eodem anno obiit.

43.

Filiæ ejus tutores, ut vi ereptus Comitatus vi retineretur, venderunt Potentiori, Regi Hisp. qui deinde donavit Wilhelmo I.

44.

Comes Teckl. de vi queritur, & contra transactionem vi extortam illico publicè protestatur.

45.

Querelam publicè ad Imperatorem, & Status Imperii, & ad Gubernatricem Belgii defert: Decernitur ab Imperio restitutio.

tre Carolo V. Imperatore restitutionem territorii Lingensis impetraret: secutæ sunt ad Carolum V. eoque paulò post resignante, iterum ad filium ejus Philippum, literæ Ferdinandi, *Ratisb. d. 15. Jan. 1557.* & Statuum Imperii, *Augustæ Vindel. d. 31. Maj. 1559.* datæ, quibus & jus Comitis asseritur & restitutio postulatur. Quæ eò minus denegari poterat, quia interim transactione Passlaviensi anno 1552. omnibus fœderis & belli Smalcaldici sociis, plenissimè amnestia & restitutio decreta atque indulta fuerat.

Transactione Passlaviensi amnestia indulta.

46.

Eam porrò literis flagitârunt Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II, & sæpius in conventu Statuum ac Electorali idem ut fieret decretum.

Nec intermissa unquam deinde est actio: nam & ad instantiam Annæ Comitis Teckl. & successorum, denuò Ferdinandus I. *d. 17. Nov. 1562.* & Status Imperii, *d. 16. ejusdem mensis* à Philippo Hispaniarum Rege: tum verò Maximilianus II. *d. 27. Jul. 1575.* ab eodem Rege, & Rudolphus II. *d. 8. Maj. 1608.* ab Alberto Archi-Duce Austriae, tanquam Governatore Belgii, restitutionem territorii Lingensis flagitârunt: quæ ut fieret, etiam in aliis Imperii Comitibus, *de annis 1594. 1603. & 1608.* & in conventu Electorali sæpius decretum fuit.

47.

Idem à pluribus Imperii Principibus & ipsis fœderis Smalcaldici sociis factum, qui testati quoque sunt, Comitem bello Smalcaldico nec interfuisse, nec quicquam auxilii ad id attulisse.

Præterea plurimorum Imperii Principum literis res agitata, & ubique innocentia Comitis ab ipsis fœderis Smalcaldici sociis asserta fuit: nam Philippus Hassiæ Landgravius *d. 1. Nov. 1552.* testimonium dedit, Comitem anno 1546, quo bellum gerebatur, neque bello interfuisse, nec quicquam auxilii tulisse: Idem Augustus Saxoniae Dux, & Wilhelmus Hassiæ Landgravius literis ad Cæsarem Maximilianum II. datis testati sunt, daß Graff Cunrad dieser Bezüchtigung ganz unschuldig / und weder selbst in solchem Kriege gewesen / noch das wenigste an Geld dazu gelegt / auch nicht einigs Ross dazu gesattelt / 2c. Dux quoque Brunswicensis *d. 16. Jul. 1562,* uti & Episcopus Monasteriensis & Osnabrugensis *d. 9. Dec. 1568,* restitutionem Comitatus à Rege Hispaniæ instanter postularunt, atque ad frequentia decreta Imperii ac Statuum provocârunt.

Iterata

Deinde quicquid
 nenses fuit, id pariter
 successione devolutum
 origo ducatur ab An
 Burenfis, qui primus
 herede unicâ, sive ab
 à Philippo Rege dona
 cum Henricum herede
 in solidum est Serenif
 Egmondana, postquam
 Philippum Wilhelmum
 liberis decessurus, & n
 res liberos suscepturus
 rum, qui fuit Fridericu

Extrait du Testame

18. Octob. 1554.

Charles V.

*Et si nous decedassent
 Seigneur & Mary, sans
 fans decedassent par ap
 le dit Sieur Prince leur
 ordonnons, que nôtre
 jouissance sa vie duran
 biens, chevances & Facu
 pour lors leur en faiso
 selle, & les faisons & de
 nance de derniere vol
 Successeurs en iceux bie*

Et Wilhelmus I. tri
 semper major natu pra
 decessissent, filiam maj
 duobus filiis prioribus,
 ritio, nullâ relictâ pro
 ejus hereditas, in qua &
 dispositionis ad tertium
 cum, & per hunc ad Se
 heredem ejus universalen
 testamenti huc facientia

Volume I. fait le n.
l'Aoust. 1557, avec
r.

pour de nôtre tres-
u plusieurs, l'ainé
& denommons par
universel és tous
immeubles, noms,
ois de fournir, &
e portion legitime
& filles, une ou
uelle & perpetuelle,
nosdits Executeurs
ous autres enfans
avons instituée &
e Heritiere univer-
lvrer telle & sem-
filles puisnées ses
, en cas, que nous ne
és en léal mariage,
eritier seul & Uni-
our de nôtre trépas
vivant ainé fils de
Guillaume de Nas-
Frere sera venu à
ffer hoirs legitimes,
ra en âge, luy succe-
il y en aura, ou à
plus prochaine fe-
ur & Pere, le Conte
seulement de fournir

aupres de la Ther-
onfirmé au Camp du
ougst 1557.

van Prince Frederic
30. Jan. 1644. onder
staten van Holland,
band.

Ende

Iteratâ sapiùs & enixè Imperatorum ac Imperii Statuum instantiâ motus Rex Hispaniarum, jussit cum Comitibus Deputatis rem Bruxellis tractari, ubi cum *anno 1563. mense Februar.* agitata causa esset, eisque appareret justitia, non denegabatur Comitatus restitutio, sed petebatur refundi pretium 120000. fl. quod Rex pro Comitatu solvisset. Id verò cum negaret Comes à se, ceu proprietario, peti posse, tractatus in irritum cecidit.

Quàm verò ipsi Cæsares jus & innocentiam Comitibus Conradi ac restitutionis justitiam asseruerint, docet planius contextus, non solum literarum Maximiliani II. *Pragæ d. 27. Jul. 1575*, verum etiam literarum Rudolphi II. *itidem Pragæ d. 8. May. 1608.* datarum, ex quarum epistolarum utràque ea quæ maxime huc faciunt excerpimus ac in fine sub literis A. & B. adjecimus.

Secuto deinde bello tricennali territorium Lingense partium armis hinc inde infestatum & occupatum, anno denique 1630. Cæsare & circuli Westphalici Statibus seriò rem urgentibus, Imperatori traditum, ac castri demolitio decreta, sed à Principe Arausionum impedita, iterumque illud occupatum fuit.

Comes igitur spe sua delapsus, Imperatoris, aliorumque Regum, Principum ac Statuum Legatis, Monasterii & Osnabrugis pacis causâ congregatis, querelas precesque de restituendo Comitatu Lingensi obtulit, quæ res cum deliberaretur in Collegio Electorali *d. 22. Sept. 1646.* conclusum fuit, ut rogaretur Imperator partes suas interponere, idque tum Foederatæ Belgicæ Ordinum, tum Principis Arausionensis Legatis ac Plenipotentiariis insinatum fuit; sed quæ tum erant temporum rationes, effectu tum quoque res caruit.

Hinc proximis denuò Comitibus Ratisbonæ actis Comes causam suam latissime, & ex ipsa pace Monasteriensi deductam exhibuit, eoque rem promovit, ut causâ per omnia Statuum Collegia pensatâ

48.

His motus Rex Hisp. jussit tractari cum Comite; tractatum, & agnita est causæ justitia, sed petita precii refusio, quam Comes negavit.

49.

Epistola Maximiliani II. & Rudolphi II. quæ de innocentia Comitibus ejusque jure testantur & restitutionem urgent.

A. B.

50.

Interim secuto bello, Territ. Lingense variè infestatum, & à Principe Arausionum denique occupatum fuit.

51.

Comes rem ad tractatus Pacis tetulit, ubi conclusum, ut Imperator partes suas interponeret, idque Legatis Belgicis insinatum fuit.

52.

Porò proximis Comitibus causâ actitatâ, à Statibus Imperii literè ad fœderati Belgii Or-

dines datæ, ut restitutio Principi Arauf. injungeretur.

Literarum tenor.

conveniret, literas ad Celfos & Præpotentes fœderati Belgii Ordines dari, quibus contineretur:

„ *Ut illi Principem Auriacum in illorum ditione de-*
 „ *gentem ad restitutionem Domini Lingensis & 4.*
 „ *Pagorum severiffimè hortarentur, secus verò, eo-*
 „ *dem ulterius contumaciter renitente, non permit-*
 „ *terent, ut illorum armis contra Imperii executio-*
 „ *nem, quippe quam tali casu ad effectum promo-*
 „ *vendam decrevissent, Princeps, ut olim, abute-*
 „ *retur.*

53.

Eadem res commenda à Statibus Imperatori, & ab hoc executione mandata Circulo Westphalico.

Quam novi motus Westphalici impediverant.

Exhibebantur unà nomine Statuum Imperii literæ commendatitiæ Imperatori, ut juxta Constitutiones Imperii & leges Pacis Monasteriensis executionem delegaret: Quam & delegavit Imperii Principibus Directoribus Circuli Westphalici, mandavitque ut Comiti ad recipiendas terras suas, non solum si se occasio offerret, non impedimento essent, sed & omni conatu, auxiliis ac viribus assisterent, &c. Hanc executionem cum Principes suscipere parati essent, rupere propositum novi motus Westphalici occasione Civitatis Monasteriensis, mors Imperatoris, & bella Polonica & Danica, quibus Imp. quoque, Elector Brandenburgicus & Ordines fœderati Belgii impliciti tum erant. Princeps tamen Monasteriensis interim cum Bevergernæ tractatus fierent, se Mediatorem offerens, Deputatos Arausionenses præsentate Tecklenburgico seriò monuit, ut de restitutione convenirent, qui quidem retulerunt ad dominos, verum reversi minorem Principis Arausionensis ætatem causabantur: Quæ pluribus referuntur *in libello ante aliquot annos typis expresso, cum inscriptione: Status causæ Lingensis, ex parte D: Mauritiî Comitis Teklenb. &c. pag. 6. 7.*

54.

Comes tamen & in Conventibus circularibus, & in tractatibus Pacis strenuè causam agit, & quid ibi actum.

Non destitit tamen Comes Teklenburgicus, sed in circulari Westphaliæ conventu Essensi & Coloniensi causam exposuit, & conclusum inprimis in posteriore fuit, ut hoc circuli Westphalici membrum circulo vindicaretur, atque ea res Imperatori seriò

feriò commendaretur. Denique in tractatibus Pacis Rivicensis quoque querelas iteravit Comes, testatique sunt Deputati, daß Sie pro justitia causæ ihme gerne geholfen sehen möchten/ sed excedere hanc causam fines illius deputationis, datis *d. 1. Nov. 1697.* à directorio Moguntino Comitis Plenipotentiaro in eam rem literis testimonialibus. Adeò inde ab initio spoliationis ad hæc usque tempora nunquam intermissa est actio.

Atque hinc quidem hætenus apparent jura Comitis Teklenburgici in hunc Comitatum Lingensem, cessione jam in Serenissimum & Potentissimum Regem Borussiae translata. Cùm verò Principes Arausionum interim ferè Comitatum tenuerint, videndum jam quæ interim apud hos possessores ejus Comitatus fata fuerint. Equidem constat, & jam dictum est, Maximilianum Comitem Burensem, eum, quasi sibi à Carolo V. donatum, vi armatâ in potestatem redeigisse; sed, cùm is eodem anno fati functus, & filia ejus, Anna Egmondana, Wilhelmo I. Nassovio nupta, sub Curatoribus esset, hi Comitatum Regi Hispaniarum vendidère, qui eum ita emtum prædicto Wilhelmo I. anno 1578. iterum donavit: in cujus hereditate quoque eum fuisse ex divisione filiorum ejus, in quam hic Comitatus quoque venit, apparet.

Hujus verò Wilhelmi bonis anno 1580. à Rege Hispaniæ confiscatis, iste quoque Comitatus ab Hispanis occupatus, sed à Mauritio Principe, foederati Belgii Ordinum armis anno 1597. receptus, deinde verò anno 1605. ab Hispanis, Duce Spinola, denuò captus, in horum potestate vivente Mauritio perstitit, adeò ut Mauritius nec testamenti nec mortis tempore eum possederit.

Post mortem verò Mauritiæ anno 1632. derelictum ab Hispanis Comitatum Fridericus Henricus recepit, cui deinde Philippus Rex Hispaniarum, Pace inter ipsum & Foederatæ Belgicæ Ordines Monasterii conclusâ, art. 50. omni jure suo, *quantum quidem* (ut

55.

Hæc jura Comitum Tekl. contra Arausionenses cessa Regi Borussiae.

Brevis repetitio, quo in statu apud Arausionenses interim Comitatus Lingensis fuerit.

56.

Confiscatum cum reliquis Wilhelmi I. bonis Mauritius recepit, sed iterum perdidit, & nec testamenti nec mortis suæ tempore habuit.

57.

Eo mortuo Fridericus Henricus recepit, eique Pace Monast. Philippus Rex Hisp. jura sua cedit.

additur) *Regem contingit*, in bona prædicta cessit: Hic tamen Princeps Fridericus Henricus, cum actiones Teklenburgicas haut immeritò metueret, ante pacem conclusam obtulerat transactionem Comiti, mittique Deputatos petiit, qui Hagam Comitis venerunt: sed propositum hoc mors Principis tum secuta rupit. *Vid. d. Stat. caus. Ling. pag. 6.* cuius testamento quicquid fuit juris in Comitatum &c. hodiè ad Regiam Maj. Boruss. translatum est.

58.
Hinc Regia Ejus
Majest. gemino jure
munita est, cum cesso
à Comitibus Teklenb.
tum delato à Principe
Araufionensi.

Hinc igitur Sereniss. Rex Borussiae variis justissimis titulis, & inprimis gemino jure, tum quod à Comitibus Teklenb. ipsi cessum, tum quod à Principibus Araufionum delatum habet, indubitatus ejus est successor.

59.
Recensentur primùm
Jura, quæ ex cessione
translata Regi competen-
t.

Primùm enim cessione Comitum Teklenburgici omnia horum Comitum jura consecutus est, quæ præcipuè per hætenus tradita hæc sunt: (1) Vetustissimum Dominium in Comitatum Lingensem nullo unquam justo titulo inde separatum vel translatum, *sup. §. 38*; transactionem enim à Maximiliano Burenfi vi metuque injusto extortam fuisse, nec vim effectumque ullum habere posse, demonstratum est *sup. §. 42. & seqq.* (2) Jus quoque Comitibus quaesitum fuit ex pactone Ducum ac Legatorum Cæsareorum, & fide ab iis interposita: illi enim nomine Imperatoris caverunt ac promiserunt, satisfactione Comitum secutâ, territorium Lingensè ipsi restitui. *supr. §. 40. 41.* (3) Ex transactione Passlaviensi, quâ iis quoque, qui bello interfuerant, amnestia, omniumque ablatorum restitutio pacta atque indulta fuit. *sup. §. 45.* (4) Accedit quòd Comes Teklenb. innocentiam suam, & se nec bello Schmalcaldico quocunque modo interfuisse, nec tum foederis socium, adeòque innocentem, & sine ulla justa causa terris suis spoliatum fuisse demonstraverit. *sup. §. 47. & seqq.* Unde omnia juris remedia petitoria ac possessoria quæ injustè spoliatis & dejectis competere possunt, cessa intelliguntur.

Deinde

Deinde quicquid juris penes Principes Araufionenfes fuit, id pariter ad Sereniff. Regem Boruffiæ fucceffione devolutum eft, five enim poffeffionis origo ducatur ab Anna Egmondana, Maximiliani Burenfis, qui primus Comitatum nactus eft, filiâ ac herede unicâ, five ab ejus marito, Wilhelmo I, qui à Philippo Rege donatum recepit, uterque Fridericum Henricum heredem ex aſſe ſcripfit, cujus heres in ſolidum eft Sereniff. Rex Boruffiæ. Nam & Anna Egmondana, poſtquam primo gradu filium ſuum Philippum Wilhelmum inſtituerat, deinde, ſi is ſine liberis deceſſurus, & maritus ipſius ex alia uxore plures liberos fuſcepturus eſſet, minorem eorum filiorum, qui fuit Fridericus Henricus, heredem ſcripfit: Uti videre eſt ex adjuncto Lit. C. infra.

Et Wilhelmus I. tres ordine filios ita inſtituit, ut ſemper major natu præferretur, & ſi illi ſine liberis deceſſiſſent, filiam majorem; quæ conditio cum in duobus filiis prioribus, Philippo Wilhelmo & Mauritio, nullâ relictâ prole defunctis, extiterit, tota ejus hereditas, in qua & Comitatus iſte fuit, vi hujus diſpoſitionis ad tertium filium Fridericum Henricum, & per hunc ad Sereniff. Regem Boruffiæ ceu heredem ejus univerſalem pervenit: Verba utriusque teſtamenti huc facientia infra excerpta damus Lit. D. & E.

Maximoperè verò obſervandum eſt, Comitatum hunc nec in Mauritii nec in Philippi Wilhelmi hereditate fuiſſe, quia, & quo tempore teſtati, & quo mortui ſunt, ſcil. ab anno 1605. uſque ad annum 1632. ab Hiſpanis jure belli occupatus, atque adeò dominium ejus jure gentium, quo res ab hoſte capta capienti cedit, *L. 5. §. ff. d. Acq. rer. dom.* non apud ipſos, ſed apud Reges Hiſpaniæ fuit. Hereditas verò ſpectatur tempore mortis: *L. 73. pr. ff. Ad. L. Falcid.* neque quicquam ad defuncti hereditatem pertinet, niſi quod moriens ille habuit atque reliquit. *L. 3. §. 2. verb. quæ cujusque cum moritur fuit. ff. d. Bon. poſſ.* Certum itaque eſt, Comitatum Lingenſem, qui in

D bonis

60.

Recenſentur deinde jura quæ ex diſpoſitionibus & ſucceſſione Principum Araufionenſium ad Reg. E. ſus Majest. delata, ſcil. ex teſtamenti Wilhelmi I. E. ſusque Conjugis, & Friderici Henrici.

C.

D. E.

61.

Comitatus Lingeniſis nullo modo fuit in hereditate Mauritii aut Philippi Wilhelmi, ſed jure belli & gentium in dominio Regis Hiſp.

bonis Mauritii aut Philippi Wilhelmi tempore mortis non fuit, hereditate eorum neutiquam comprehensum fuisse, neque ad illam ullatenus pertinuisse:

62.

Recuperatus à Friderico Henrico, rediit jure postliminii ad bona & hereditatem Wilhelmi I. & ab hoc ad Fridericum Henricum.

Et si verò Fridericus Henricus post Mauritii mortem eum recuperaverit, jus postliminii tamen non hujus, sed Wilhelmi I. heredibus prodest; nam & cum Mauritius durante bello hunc Comitatum, qui Patris Wilhelmi I. fuerat, reciperet, jure postliminii ad pristinum ille statum, quo in bonis ac dispositione Patris fuerat, restitutus est; & hic ergò Status istius Comitatus fuit, ad quem per iteratam occupationem Friderici Henrici quoque reversus est. Jus enim postliminii fingit rem nunquam bello captam fuisse, sed semper in eodem statu, quo ante bellum fuit, permanisse. §. 5. *Inst. Quib. mod. jus patr. pot. solv. L. 5. §. 1. L. 12. §. 6. ff. d. Capt. & postl. rev.* Unde in eo jure conjungitur momentum quò res recipitur, cum momento, quò primùm ablata fuit. *L. 10. pr. L. 19. princ. & ib. Dd. ff. eod.* Hoc igitur jure Comitatus ex bonis & dispositione Wilhelmi I. ad Fridericum Henricum pervenit, nihil computatis mutationibus, quæ medio bello contigerunt.

63.

A Friderico Henrico autem optimo jure ad Reg. Maj. Bor.

Hic igitur extra omnem controversiam positum est, Fridericum Henricum testamentis fratrum suorum nullo planè modo impeditum fuisse, quò minus cum reliquâ sua hereditate, Comitatum Lingensem quoque, à Patre acceptum, in hunc casum filia suæ Majori, & ex ea nepoti Serenissimo Regi Borussiae relinqueret: quia fratrum testamenta ad hunc Comitatum, qui nec testamenti nec mortis tempore in eorum bonis aut hereditate fuit, nihil pertinent. Wilhelmi I. autem dispositio ei omninò consentit, tantùm abest ut refragetur.

64.

Summa capitum, quibus Jus Sereniff. Regis Borussiae in hunc Comitatum munitum est.

Permunitum igitur est hoc jus Regiæ Majest. Borussiae in Comitatum Lingensem (1) Cessione jurium Comitis Teklenburgici. (2) Testamento Wilhelmi I. ejusque Conjugis. (3) Testamento Friderici Hen-

Henrici, qui nominatim in hunc casum filiam suam Dn. Louisam, ejusque deinde filium, qui est Sereniss. Rex Borussiae, in solidum instituit (4) Jure sanguinis, quia ab intestato quoque proximus successor esset, quippe qui legibus Imperii Sereniss. Matrem in omni successione individua & primigeniali, qualis sua natura Comitatum est, 2. F. 55. §. firmiter, repræsentat.

Tantò igitur indubitatus nunc hoc jus est, utriusque partis contendentes juribus in unum jam convenientibus, cum enim omnis de hoc Comitatu contentio inter solos Principes Arausionum & Comites Teklenburgicos hactenus fuerit, jam, quaecunque pars jure potior sit, Comitatus ad Sereniss. Regem Borussiae pertinebit, qui utrique successit, alteri ex cessione, alteri ex testamento gemino, & lege primigenituræ: ut adeò utriusque partis, jure in unum cumulo atque confuso, hac auspiciatissima conjunctione quicquid litium fuit, sopitum extinctumque sit.

Quæ verò in contrarium moventur nullius momenti sunt.

PRIMUM est, Comitatum à Friderico Henrico receptum, jam ante à Mauritio occupatum fuisse, adeoque jure postliminii ad eum ejusque heredes reverti debere.

Ei verò jam satisfactum est, *sup. §. 62.* Comitatus enim in bonis Wilhelmi I. & inde ablatus fuit: In hunc igitur statum tum per Mauritii, tum per Friderici Henrici recuperationem jure postliminii rediit: Hæc igitur momenta conjungi debent, ut perinde habeatur, ac si nunquam ab hoste Hispano occupatus fuisset, sed perpetuò in bonis Wilhelmi I. mansisset. Ex hujus igitur testamento succeditur, & hujus heredibus jus postliminii debetur.

DEINDE urgetur imprimis transactio illa, quæ inter Comites Bürensensem & Teklenburgicum, consensu hujus Agnatis omnibus inita, & tum à Carolo V. Imp. comprobata, tum plurium Comitum aliorumque fidejussione ac quarantiâ firmata fuit; per

65.

Succedit Rex utriusque Parti, quæ hactenus de hoc Comitatu contendit: eoque jus extra controversiam ponitur, atque in unam personam confunditur.

66.

Objectiones ex parte Arausionensi motæ.

Obj. I. Jure postliminii rediisse Comitatum ad Mauritium.

Resp. Et hac Mauritii recuperatione reversum jure postliminii ad Wilhelmum I. ejusque heredes. *sup. §. 62.*

67.

II. Objectionis solutio: ubi demonstratur cessionem vi injustissima extortam & irritam esse.

quam Comes Teklenburgicus cessit Comiti de Büren oppidò & territorio Lingensi. Cùm verò constaret, eam cessionem vi & invasione armata Comiti Teklenburgico extortam fuisse, respondent ex adverso, eam vim, quippe à Magistratu illatam, fuisse licitam, nec incidere in edictum de vi metuque. Verùm quam hæc cessio illicitè extorta, & quam omni jure nulla ac irrita sit, ex iis, quæ *sup. §. 38. & seqq.* exposita sunt, apparet. Et primum quidem etiam ea, quæ à Magistratu illicitè & non jure gesta sunt, nullius momenti esse, luculenter in *L. 3. §. 1. ff. Quod met. caus.* sic expressum est: *si quid injuria fecit Populi Romani Magistratus, vel Provinciæ Præses, hoc Edictum locum habere, si fortè mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorserit, &c.* Etenim tantò major est injuria, cùm is facit, qui omnium minimè debuit, uti si Magistratus, qui tuendo juri constitutus est, ipse injuria agat: *Sap. 6. vers. 6. 7. 8. 9. Senec. in Hercul. fur. act. 3. vers. 744.*

*Judex futurus sanguine humano abstine,
Quicumque regnas, scelera taxantur modo
Majore vestra.*

Et in Thyeste, *vers. 620.*

Omne sub regno graviore regnum est.

Idque ipsi Sacratissimi Principes & Imperatores ita statuerunt,

Nibil se admissuros, cui juris autoritas desit. S. f. Quib. mod. test. inf. nec ullum rescriptum suum valiturum, quo contra jus aliquid impetratum est. L. pen. & tot. tit. Cod. de Prec. Imp. off. Tot. tit. C. si cont. jus vel ut. publ. &c.

adeò, ut omnibus rescriptis suis inesse conditionem voluerint, *si preces veritate nitantur. L. f. C. d. div. Rescr.* Satis gnari, quàm haut difficile nec insolens sit, ministrorum gratiâ vel avaritiâ per sub- & obreptionem aliquid impetrari. Non potest itaque allegari autoritas Principis aut Magistratus, si injuriâ quid factum fuerit; id enim obreptitiè impetratum factumque intelligitur.

Vix

Vix autem ostendi in Imperio poterit exemplum violentioris ac injustioris extorsionis, quam hujus cessionis. Etenim (1) Maximilianus Bùrensis *d. 24. Jan. 1547.* milite armato invasit vastavitque terras Comitis Conradi, quasi perduellis, quòd superiore anno bello in Cæsarem gesto adhæsisset; cum nec citatus nec auditus antè unquam fuisset. Nulla autem magis à natura & ratione ac omni jure abhorret injustitia, quàm si in non citatum nec auditum ac defensum vi agitur & militaris executio immittitur: de quo *Sebast. Vant. de Nullit. tit. 12. pass. & tit. 4. n. 49.* Invasione facta citavit Maximilianus Bùrensis Comitem, non ut causam diceret, sed ut terris suis cederet: Atque hoc extremo armorum terrore extorsit à Comite, nunquam citato, audito vel defenso transfectionis articulos adjectos Lit. F. (2) Hujus transfectionis leges omnes ac fidem etsi Comes accuratè impleverit, atque ad implendum paratus fuerit, & conventam inprimis pecuniam solverit, eoque nomine, ut ex Lit. G. patet, liberatus apochis fuerit, quin multò plura, quàm pacto conventum fuerat, præstiterit, nihilominus Comes Bùrensis denuò armis Comitem aggressus, vi, minis, armorumque terroribus eò ipsum angustiatarum adegit, ut & territorio Lingenfi & quatuor præterea pagis cedere coactus fuerit. Id verò non à ratione & jure, sed ab omni humanitate alienissimum est, eum, quem extrema omnia patiendi metu compuleris ad transigendum & satisfaciendum, ubi satisfecit nec ullam implendi pacti moram commisit, adhuc vi armata, ut terris suis cedat, percellere, atque adeò primùm ad paciscendum vi injusta cogere, & tum, ubi pacti fidem implevit, nihilominus terris suis ipsum spoliare. Quæ atrocitas (3) tantò major fuit, quòd ipso pacto, *Lit. F.* literisque, ut vocant reversalibus, *Lit. H.* expresse cautum, fidesque data fuerit, Lingenfè territorium impleto pacto restitutum iri, & interim non nisi pignoris loco, *Geiselsweise*/donec pacto satisfactum fuerit, in potestate invadentium fore. Quæ igitur vel umbra juris in-

Vitia cessionis.

F.

G.

H.

telligi potest, cum pignus, solutis & præstitis quæ conventa fuerant, & suapte naturâ, & fide præterea expressè, atque bey Ehren/Treuen und Glauben interpositâ, (quæ formula instar juramenti, inprimis inter Illustres Personas, habetur,) restituendum sit, ea omnia eludere, iisque quæ sanctissima sunt inter homines, susque deque habitis, pignus domino eripere, cumque rebus suis contra fidem religiosè datam, omnemque juris rationem spoliare. Atque hæc omnia in Comitum ac Statum Imperii patrata sunt. Accedit (4) haut levis omni huic injuriæ injustitia, quod Comes Bürensis prætextu mandati Cæsarei *d. 18. Oct. 1546.* editi, *d. 23. Jul. 1547.* hanc cessionem vi extorserit, cum tamen medio tempore, scil. *d. 27. Jan. 1547.* de causa jam transactum, eoque mandatum de exequendo extinctum fuerit. Unde (5) meritò Comes Conradus, Bürensi, ceu violentiæ & injuriarum autore, mox mortuo, confestim de vi sibi illata publicè conquestus, atque, se pacto illo non teneri, testatus est, edita solenni protestatione sub Lit. I; sed & (6) Ipsi Imperatores, quorum de hac causa judicium est, agnoverunt & asseruerunt Comitis innocentiam, & improbarunt hanc ereptionem injustamque judicârunt, atque inde restitutionem terræ Lingensis unâ cum Imperii Statibus maximis studiis sollicitârunt. Vid. *sup. §. 44. 45. & seqq. & lit. A & B.* Inprimis cum ipse Philippus Magnanimus, Hassiæ Princeps, literis suis testatum faceret, Comitem Bello Smalcaldico neutiquam adhæsisse: *sup. §. 47.* Et fanè, non potest (7) excusari aut justa ratio afferri, cum ab iisdem Legatis ac Officialibus alii Status Westphalici, ut Comitès de Lippe, de Schaumburg/ de Ritberg, de Hoia, & Civitates Hervord, Osnabrug, Minden, &c. minoris summæ satisfactione absoluti, & sine imminutione terrarum suarum in gratiam Cæsaris recepti fuerint, *d. tract. de Stat. caus. Ling. pag. 1.* cur tantæ acerbitalis vindicta à solo Teklenburgico sumpta fuerit, nisi quòd Comes Bürensis terras ejus captaret. Equidem (8) cum ven-

dita-

I.

ditaretur causa Smalcaldici foederis unica, non potuerunt Principes Arausionum eam improbare in Comite, cum ipsi similem planè, felici successu diu armis tutati fuerint: adeoque nec hæredes eorum. *L. 3. §. pen. ff. Quod quisq. jur. in al.* Denique (9) rem totam conficit vel sola transactio Passaviensis, quæ per amnestiam provisum, ut omnia vi extorta, atque adeò & hæc cessio restitueretur, de quo §. seq. Non obstat igitur hæc cessio, cum vi injustissima extorta, tum per amnestiam restitui iussa.

TERTIUM, quod opponitur, est, Transactionem Passaviensem non pertinere ad eos, qui tum jam in gratiam Cæsaris recepti fuerunt. Verum (1) id gratis additur & fingitur, cum textus generaliter de omnibus loquatur, qui foederi adhæserunt (2) Inprimis illâ amnestiâ & transactione Passaviensi duo continentur: Receptio in gratiam & restitutio eorum, quæ vi ablata vel extorta erant: etsi ergò priùs ante factum fuerit, posteriùs tamen adhuc fieri debuit. (3) Etenim cum per eam restitutio bonorum, quæ occasione foederis Schmalcaldici vi extorta fuerant, omninò facienda fuerit: Comes verò tum querelam acerrimè de extorsione sibi factâ moveret, utique vi amnestiæ ipse quoque restitui debebat; nihil enim interest, bona vi ablata, an cessio bonorum vi extorta fuerit. (4) Et sanè non debet deterioris conditionis videri, qui maturius in gratiam est receptus, quàm qui diutiùs oblectati sunt, nec gratia Imperatoris, quæ in favorem partis accipienda est, ipsi nocere & in detrimentum ipsius interpretari. Ex ea igitur transactione, quæ omnibus sequentibus pacificationibus publicis, etiam novissimâ Rivicensi repetita & confirmata est, omninò Comitatus ille restituendus venit.

QUARTO movent, quòd anno 1630, cum discedentibus Hispanis præsidium Cæsareum impositum, & anno 1632. ab eo quoque derelictum esset Oppidum & Castrum Lingensè, facillè illud recuperare potuissent Teklenburgici, si quid juris sibi esse credidissent. Resp. i.

Mirum

68.

III. Objectionis solutio, ubi probatur, Transactionem Passaviensem ad hunc quoque casum pertinere.

69.

IV. Objectionis solutio; ubi docetur, satis diligenter Comites Tecklenburgicos restitutionem postulasse.

Mirum verò si Status Imperii unius anni vel biennii lapsu ab intentione ac jure suo præclusus intelligitur, cum in hujusmodi terris nec longissimi temporis silentium sufficiat. Non nocet igitur silentium, nisi lapso legitimo præscriptionis termino. Mirum (2) si consultum tum fuisse Comiti creditur, ut circumstrepentibus undique armis, & commeantibus ultrò citroq; exercitibus, possessionem oppidi & castri, quâ potentissimi hostes invicem modò expulerant, propria autoritate ingredi, & tutelam hujus castri suscipere auderet, qui quas possidebat terras ne quidem tutari poterat. Igitur (3) prudentius egit apud Imperium, ut ejus autoritate ipsi restitueretur; Quæ & causa fuit, ut, urgente Cæsare & circulo Westphalico, Hispani, qui in bello Italico contra Gallos tum Cæsaris foederati erant, cesserint præsidio: Recepto verò oppido, cum milite magis in expeditiones quam ad præsidia oppidorum tum opus haberent, nec tutum esset Comiti planè inermi castrum restituere, deliberabatur de demolitione castri, quæ & decreta fuit; sed cum mora fieret, & interim belli ratio milites ad alios usus posceret, occupavit interim demolitionem Fridericus Henricus recuperato Castro. Et omninò (4) verendum fuit Comiti, si privatim ipse possessionem castri litigiosi occupaturus esset, ne lacefferet vel Belgas vel Hispanos, vel utrosque, & hoc facto denuò eos ad se invadendum, terrasque suas alias vastandas, irritaret atque impelleret. Ac (5) frustra planè fuisset privata possessionis apprehensio fervente adeò in vicinia bello, cum nullæ essent tum Comitis vires, ut contra qualemcunque vim defendere oppidum potuisset. Satius igitur (6) fuit apud Imperatorem & Status Imperii id agere, ut tuta possessio ipsi publicè restitueretur, quod sedulò ante & post bellum, eoque durante factum est.

sup. §. 44. & seqq.

70.
V. Objectionis solutio, ubi de qualitate feudali hujus Comitatus agitur.

QUINTO objiciunt, Comitatum hunc jam antè feudum Geldriæ fuisse, quàm Wilhelmo I. acquisitus esset; quippe quem Nicolaus Comes anno 1526. Duci Geldriæ

Geldriæ in feudum obtulerit, quod feudum deinde Provinciæ Trans-Isulanæ cessit. Sed Resp. 1. Nihil juri Provinciæ, si quod est, derogatum hic volumus; nec de eo nunc quæritur, sed de jure quod Comitum Teklenburgicorum, vel Principum Arausionum fuit, atque ad Regiam Majest. Borussiæ inde jam transit. Sed nec 2. illa feudi qualitas hæctenùs ex actis apparuit: Nam quod inter Gueldriæ Ducem & Nicolaum Comitem d. 24. Maj. 1526. conclusum est negotium, tantum est Advocatia seu protectio, *Schutz und Schirm*/ quo nec jurisdictionem, nec feudum contineri inter omnes constat: neque in instrumento illo, feudi vel fidelitatis, quæ feudum facit 2. F. 4, fit mentio, sed tantum protectionis cum jure aperturæ, quod protectioni conjunctum esse solet. 3. Neque negotium id cum ipso Comite Teklenburgico, sed cum fratre minore & apanagiato actum est, qui jure apanagii & ususfructus terram hanc tenuit, nec adeò in præjudicium Comitis regentis aut Agnatorum transferre jus perpetuum in alium potuit. Idque magis adversatur Serenissimo Principi Nassovico, qui ex Testamento in Feudis in Germaniâ sitis, succedere nequit, sed nec ad eum hæc quæstio verum ad Provinciam Trans-Isulanæ pertinet adeoque hic frustra movetur. Ut adeò, si quid unquam justifanctique est, id sanè jus æquissimum sit, quod Regiæ Majestati Borussiæ in utrumque Comitatum Lingensem & Mœursensem optimo maximoque jure competit. De possessione verò utriusquè Comitatus, quæ vacua, ante litem cœptam ritè apprehensa est, capite sequenti agetur.

CAP. II.

De apprehensa utriusque Comitatus possessione.

Actum, de quo contenditur, tale est; Serenissimus & Potentissimus Rex Borussiæ à Serenissimo quondam Arausionum Principe
 E Fride-

I.
 Facti species:
 Testamentum Fride-
 rici Henrici, nullo visi-
 bili vitio laborans, quo

Sereniff. Rex Borussiae in hunc casum institutus est, jam anno 1647. publicatum, ei à nemine contradicium, ejusque adeò vi possessio Comitatus Meursensis & Lingensis vacua, & nondum ulla lite mota, quin nondum apertis Regis Magn. Brit. tabulis apprehensa est.

Friderico Henrico, Avo suo materno, in casum, qui nunc extitit, universalis heres scriptus, testamentumque illius lit. E, jam mense Majo anni 1647. apertum ac publicatum fuit; quod nullo visibili vitio laborat, & cui à nemine haectenus contradicium fuit. Mortuo igitur nuper Magnae Britanniae Rege, gl. mem. ante apertas ipsius tabulas Sereniff. Rex Borussiae vi praedicti testamenti apprehendit possessionem vacuum Comitatum Meursensis & Lingensis in Imperio sitorum, & à praedicto Principe Friderico Henrico relictorum, cum & Meursensis esset antiquum feudum Ducatus Clivensis, & Serenissimo Regi Borussiae ceu Duci Cliviae plurimis ex causis apertum; & Lingensis diceretur esse Feudum Provinciae Transilvanicae. Apprehensa fuit possessio vacua, cum nondum ulla lis, quin cum ignotum adhuc esset, an praeter Regem Borussiae, qui & ab intestato, & ex testamento Friderici Henrici heres in solidum, & dominus directus Comitatus Meursensis erat, ullus alius heres extiturus esset, aperto nondum Regis Britanniae testamento: & mandatis Camerae Imperialis defensa fuit possessio. Apertis deinde tabulis Regis Britanniae quibus Sereniff. Princeps Nassovius heres scriptus fuit, & quibus, quoad res defuncti proprias eoque testamento relictas non contradicium, mota est tum de fideicommissio testamentis Renati & Wilhelmi I. relicto, tum de utroque hoc Comitatu ejusque possessione, controversia, & quaesitum. *Utrum Rex Borussiae in possessorio ratione utriusque Comitatus potior, & in possessione quam nullam adhuc controversiam nullo contradicium existente vacuum apprehendit pendente de causa lite tuendus sit, an vero teneatur horum feudorum possessione decedere Serenissimo Principi Nassovio, & ex ejus manu deinde eos recipere.*

Q. An Rex Borussiae Sereniff. in possessione tuendus sit? Et in thesi, An posteriores fideicommissarii teneantur rem ex manibus heredis capere.

2.

Distinctio inter primum & posteriores fideicommissarios, & hos non teneri rem ex manu heredis capere, probatur.

Equidem de legatario & primo fideicommissario nulla dubitatio est, quin teneatur rem non heredis voluntate apprehensam, cautione accepta restituere atque sic ab herede petere, ex notissimo praescripto interdicti, *Quod Legatorum*: Verum hoc interdi-

terdictum ad secundos & ultiores fideicommissarios non pertinere, nec ad eos extendi, sed Regem, qui non vitiose possessionem apprehendit, in ea pendente lite tuendum esse, verius videtur, & sequentibus rationibus ostenditur: Etenim

Generalis regula ita expresse jure constituta est; 3.
 Qualiscunque possessor hoc ipso quod possessor est, Ex generali possessorum regula.
 plus juris habet, quam ille qui non possidet. *L. 2. ff. Ut. possid.* adeo ut nec excipiat possesio quam quis vi vel clam cepit. *L. f. ff. d. Acquir. poss.* modo eam non ceperit ab ipso adversario, qui cum possideret ab altero dejectus vel turbatus est. *L. 1. §. f. L. 3. princ. ff. eod. tit.* Unde hæc sola possessio excipitur nec defenditur, cum quis *vi, clam, aut precario ab ipso adversario suo* possidet, prout ex formulis interdictorum constat, quæ species hoc casu, ubi Serenissimus Princeps Nassovius nunquam in possessione fuit, cessat.

Et quo remedio possessorio usus esset? cum enim nunquam possederit, adeoque turbatum vel dejectum se allegare nequeat, non supersunt nisi *adipiscendæ* remedia, sed quæ & ipsa hoc casu cessant, ut ex singulis apparet. Neque enim *remedium Quorum bonorum* dabitur, quod non competit nisi adversus eos qui pro herede vel possessore possident, cum heredes non sint. Serenissimus Rex verò testamento valido in solidum heres scriptus est; nec *remedium L. f. C. d. Edict. Div. Adrian. toll.* quod cessat, cum contradictor legitimus est, qualis sanè est, qui vacuum possessionem ante litem motam apprehendit, ac præterea solenni testamento expresse heres scriptus est, quin cui ipsi quoque idem *remedium* si non possideat, competit; de quo *Posth. de manuten. in Rot. Rom. dec. 226. n. 6. & 7.* Nec *Salvianum* interdictum, quippe quod fideicommissario propter tacitam hypothecam adversus heredem datur, non contra. Superest igitur tantum interdictum *Quod Legatorum*, sed nec hoc ad secundos & ultiores fideicommissarios extendendum esse, imprimis verò in fidei-

4.

Quia Sereniss. Princeps Nassovius nullum habere potest remedium possessorium; quod inductione probatur.

commisfis familiæ, primigeniis & feudis, quæ omnia sunt species fideicommissorum familiæ, locum non habere apparebit in causam interdicti penitus inquirenti.

5.
Specialiter demonstratur, Interdictum *Quod Legatorum*, quo legatarii jubentur legatum è manibus heredum petere, ad secundum & ultiores fideicommissarios non pertinere. Ratio L. Quia ita & is, cui legatarius restituere jussus est, rem ab herede capere teneretur, quem tamen à legatario gravato eam petere constat & probatur.

Etenim interdictum loqui tantum de legato & fideicommissio quo ipse heres à testatore gravatus est, & qui proinde ab herede petere debet, inde constat, quia si legatarius vel fideicommissarius ille iterum gravatus & Sejo restituere jussus est, Sejus à legatario seu fideicommissario gravato petet; non ab herede. Non enim aliter Sejus agere vel petere potest, quam testamento continetur; eo autem non continetur, ut heres Sejo præstet, sed ut Legatarius vel fideicommissarius, quem testator præstare ac restituere jussit, semper igitur actio ex testamento datur honorato contra eum qui gravatus & præstare jussus est, quod & patet ex *L. un. s. 4. C. d. Cad. toll.* Ubi ideò penes gravatos legatarios & fideicommissarios non penes heredem dicitur manere legatum & fideicommissum, quod caducum fit, quia ipsi, non heres, id præstare tenentur & suo nomine conveniuntur, & ideò commodum quoque eorum esse debet, quorum onus est. Unde & ipsi, non heres, tum transferunt ex Trebell. actiones utiles *L. 1. s. 8. ff. ad Sc. Treb.* Ut adeò id primum certissimum sit, interdictum *Quod legatorum*, quo necessario legatum & fideicommissum ex manu heredis petendum est, loqui tantum de primo legato & fideicommissio, quo ipse heres gravatus fuit, non de secundo vel ulteriore, quo legatarii vel fideicommissarii gravati sunt, ut in fideicommissis familiæ. Quod si igitur legatarius v. g. non præstet legatum Sejo, sed ante præstationem moriatur, verum quidem est, quòd hujus legatarii heres teneatur & conveniri possit, quia actio ex testamento, quæ contra legatarium competiit, etiam contra heredem ejus datur, cum sit rei persecutoria *L. 35. & ib. D. ff. de obl. & act.*; at hic heres non habebit interdictum *Quod Legatorum*; Hoc enim cum ipse legatarius defunctus ne quidem habuerit, nedum heres ipsius habi-

habiturus est, penes quem non potest plus juris esse quam penes defunctum fuit *L. 120. L. 54. ff. d. Reg. Jur.*

Quin, tanto minus potest hic legatarii vel fideicommissarii heres uti interdicto *Quod Legatorum*, quia hoc non datur nisi heredi à testatore instituto & gravato per *L. un. ib. secundum sententiam interdicti quod adversus legatarios scriptis heredibus propositum est. C. Quod Legat.* Enim verò Legatarii vel fideicommissarii heres à testatore neque institutus neque gravatus est. Non institutus, quia Legatarii heres est, eique & ab intestato esse potest: nec ab eo gravatus, quia non convenitur ut gravatus, sed ut heres legatarii & fideicommissarii, qui tenebantur. Sed & cum interdictum hoc *propositum saltem sit scriptis heredibus adversus Legatarios*, ut dicitur in *d. L. un.* sequitur non esse propositum ipsis Legatariis aut fideicommissariis eorumve heredibus. Planè secus erit, si heredis gravati heres sit; Ei enim eadem quæ defuncto competit actio. *L. 59. ff. de Reg. Jur.*

Ratio scil. est, quod Testator heredi suo omnem voluntatis suæ curam executionemque commisit, & cum eo negotium universum hereditarium gefisse intelligitur; quam proinde rationem legatarii & fideicommissarii qui factum ejus præstare tenentur, turbare non debent, suo arbitrio & propria auctoritate res capiendo: at cum ipsis legatariis & fideicommissariis testator ipse agit, sed per heredem. §. 10. *Inst. d. Test. Ord.* nec illis negotia hereditaria, sed heredi committit, qui uti omnium defuncti jurium universalis est successor *L. 62. ff. d. Reg. Jur. L. 24. ff. d. Verb. Sign.* ita ejus est, omnium rationes inire, & cum testatoris voluntati tum sibi, tum honoratis prospicere, quæ omnia cessant in Legatariis & fideicommissariis gravatis.

Sed & expressis verbis id decisum est in *L. pen. §. 1. C. de SCt. Treb.* ubi tribus casibus ipso jure, sine ullo facto heredis in fideicommissis succeditur & actiones transferuntur, inter quos expressè refertur

6.

Ratio 2. Quia interdictum illud ei soli heredi datur, qui à testatore ipso & institutus & gravatus est: quod ostenditur.

7.

Ratio 3. Quia causa hujus interdicti in reliquis cessat.

8.

Probatur id 4. per *l. pen. §. 1. C. de SCt. Treb.*

quoque casus secundi fideicommissarii & statuitur, cum sine facto heredis succedere primo, & ipso jure actiones consequi. Casus his verbis proponitur: *Vel fideicommissarius cui restituta est ex SCto Trebell. hereditas (qui primus est) alii per fideicommissum restituere jussus fuerit (qui secundus) res hereditarias.* Et decisio in fin. hæc sequitur: *Si à primo fideicommissario in secundum translatio celebrari jussa est, ipso jure utiles actiones transferantur.* Adeo igitur facto heredis hic opus non est, ut nec actiones ab eo cedi oporteat, quæ tamen ossibus hæredis inhærent;

8.
Et 5. per l. 1. §. 9. in
fin. ff. eod. tit.

Idem decisum est in L. 1. §. 9. in fin. ff. eod. tit. ubi primo fideicommissario tota hereditate restituta, alter cui ex ea pars sub conditione restitui debuit, ipso jure actiones acquirit; in verbis: *cum extiterit conditio, si velit alius fideicommissarius partem suam suscipere, transire ad eum ipso jure actiones;* Non tenetur igitur alter fideicommissarius cessionem actionum accipere, nedum possessionem rei ab herede. Sed & vel ex ipsa descriptione legatorum vel fideicommissorum id liquet; quæ dicuntur *donatio à defuncto relicta, ab herede præstanda, §. 1. de Legat.* Itaque id ab herede defuncti ut præstandum, ita ex ejus manu petendum est, quod ab eodem defuncto relictum & donatum est, & vice versa; respectu enim ejusdem defuncti seu testatoris ibi dicitur, ut & ab illo donatum & ejus heres sit. Ea verò species non est in secundo fideicommissario, ut hic; nam hoc casu alius testator est, qui relinquit, scil. Fridericus Henricus; alius cujus heres est, scil. Guilielmus III. Rex Angliæ. Huc igitur illa necessitas præstandi & petendi ab herede, seu interdictum *Quod Legatorum*, non pertinet.

9.
Ratio 6. Quia legatarii aut fideicommissarii heres non est directus heres fideicommissarii aut dominus directus fideicommissi.

Porro id inde probatur, quia is, ex cujus manu fideicommissum petendum dicitur, heres directus fideicommissantis sit necesse est, §. 2. *Inst. de Fideic. Hered.* penes quem manent actiones directæ, & qui utiles tantum ex Trebell. transfert. §. 4. & seqq. *eod. tit.* Fideicommissarii autem, qui & ipse jussus est

est aliis restituere, heres, non est heres directus fidei-
committentis, nec dominus directus fideicommissi,
neque actiones directas habet: nam cum ne ipse qui-
dem fideicommissarius primus sit heres directus,
nec directas actiones habeat, ut patet, nedum ipse
heres, *d. l. 120. ff. de Reg. Jur.* Ex hujus igitur manibus,
qui heres directus fideicommissi, ejusve, qui id re-
liquit, nequiquam est, non tenetur fideicommissarius
secundus fideicommissum petere.

Et hoc, quod interdictum non nisi de herede
directo fideicommittentis loquatur, haut parum eo
confirmatur, quod illud dari dicitur heredi contra le-
gatarios *L. 1. §. 2. ff. & L. un. C. Quod legat.* Certum au-
tem est, voce heredis ibi non alium intelligi posse,
quàm heredem directum defuncti, quia ab alio ne-
mine legata relinqui possunt, *princ. Inst. de Sing. reb.
per fid. vel. §. 1. de legat.* Cum his legatariis ergo, qui
hoc interdicto tenentur, comparari quidem possunt
fideicommissarii primi, juxta *L. 1. ff. de legat. 1.* qui &
ipsi à nullo alio quàm herede directo fideicommissa
capere possunt. *d. §. 1. Fideic. hered.* nequiquam autem
fideicommissarii secundi & posteriores, qui non ab
herede fideicommittentis vel legantis, de quo in in-
terdicto, sed à fideicommissario vel saltem legatario
gravato fideicommissa consequuntur: Serenissimus
autem Princeps Nassovius non est heres, nedum di-
rectus heres fideicommittentis, sed fideicommissarii,
scil. Regis Guilielmi III. qui fideicommissio hoc one-
ratus fuit. Et ab hoc igitur immediatè & ipso jure
in Serenissimum Regem Borussiae transit fideicom-
missum.

Quæ verò hæcenus de fideicommissario secun-
do dicta sunt, multò magis obtinent in ulterioribus,
uti in primis in fideicommissis familiae perpetuis, in
primigeniis & feudis &c. quæ verissimæ species sunt
fideicommissi familiae: nam in primigeniis majori
natu semper restitutio faciendâ; in feudis, proximo
agnatorum ex primo acquirente descendendum; quæ
restitutio non fit nisi per fideicommissum. Atque

IO.

Ratio 7. Quia cum
legatariis, de quibus
interdictum *Quod leg.*
agit, tantum fideicom-
missarii primi, non ul-
teriores comparari
possunt.

II.

Ulterius demonstra-
tur, Interdictum *Quod
Legatorum*, quo lega-
tarii tenentur legatum
è manibus heredum
petere, ad feuda & pri-
migenia, quæ ipsa sunt
fideicommissa familiae,
non pertinere.

in

in his cessare interdictum *Quod Legatorum*, nec teneri successorem ea petere ex manibus ejus, qui ultimi defuncti, non primi testatoris heres est, ulterius demonstratur.

12. Certum enim est, neminem lege adstringi ex manu heredis illud petere, quod iste non habet, nec habere jure potest, & quod nec in ejus hereditate est: ea quippe naturæ regula est, *Neminem alii præstare posse, quod ipse non habet. L. 20. princ. ff. de Acq. rer. dom.* nedum ut quis teneatur id ab eo petere: Hujus autem generis est heres testamentarius ultimi defuncti; in hujus enim hereditate testamento delatâ, non esse feuda, primigenia, cæterave familiæ ac Majorum fideicommissa, inde pervincitur, quia de iis testamentum fieri, adeoque illa sub hereditate testamento datâ contineri non possunt. *L. 67. princ. ff. de Legat. 2. & 1. F. 8. princ.* Talis igitur heres testamentarius hujusmodi jura familiæ à Majoribus relicta non potest in hereditate sua habere, adeoque nec inde illa alii restituere. Multò minùs igitur successor ea ex ejusmodi heredis manibus petere tenetur, quod alter nec habere nec præstare potest.

13. Occurritur objectioni. Equidem posset ille de factò habere hujusmodi res; quo casu tenebitur utique illa restituere, sed tantum ut merus possessor ac detentor, non verò ut heres, qui ea ex interdictò petere, & ita adstringere successorem possit, ut à se acciperet.

14. Confirmatur id 9. Atque hoc, quod fideicommissa familiæ non sint in hereditate ultimi defuncti, adeoque successor inde, aut ab ejus herede non possit, nedum teneatur ea petere, certò demonstrari potest:

quia fideicommissa hæc in cujusque persona morte extinguuntur, nec adeò ad heredes ejus transeunt, nec in hereditate ejus inveniuntur. Nam cum plures successivè ad idem fideicommissum vocati sint, necessariò in cujusque fideicommissarii persona jus fideicommissi morte extinctum nec ad heredes transitorium est. Uti enim ususfructus morte abolitus ad heredem non transit, adeoque nec ex manu ejus recipi potest, ita nec fideicommissum, quod pariter morte expiravit; & proinde hoc non magis dici potest esse in hereditate defuncti, *in de*

de boedel van de verstorvene, quàm usufructus, qui & ipse morte tollitur.

Cujus rei evidens demonstratio est: Non magis enim fieri potest, ut pluribus ad idem dominium successivè vocatis quisquam eorum dominium perpetuum & hereditarium, quàm pluribus simul vocatis, quisquam dominium in solidum habere possit. *L. 5. §. f. ff. Commod. L. 66. §. 2. ff. d. Legat. 2. & c.* sed, quemadmodum horum concursu per partes, ita illorum successione per tempora dominium necessario dividitur, & adeò cujusque morte extinguitur. Quod exemplo explicatius reddi potest. Etenim si quis omnes Agnatos vocasset ut per annos invicem succederent, & quisque annum haberet: nam cujusque jus anno finitum, & eo momento alterius factum esset. Nihil autem planè interest, ad annum vel annos, an ad tempus vitæ singulis bona concessa sint; quia utrobique lapsu temporis, quaecunque illud sit, adjecti, jus finitur & alteri cedit, nec ultra metam temporis constituti extenditur: adeòque hoc jus in hereditate defuncti esse, & ab ejus herede recipiendum esse statui nequit. Atque hinc optimè tradunt Dd. in fideicommissio familiae tot esse fideicommissa, quot personas: & in singulis personis novam incipere ac repeti dispositionem testatoris, quâ dato novæ personæ fideicommissio, necessario jus prioris penitus extinctum est, cum duo simul in solidum, idem dominium nec ad momentum temporis habere possint. Quod in specie feudorum præclare illustrat *Giurb. d. success. feud. §. 2. gloss. 12. n. 2. 3.*

Nec movet quod res quoque commodatæ & depositæ, licet alienæ sint, in defuncti hereditate existant; Nam hoc inde est, quia quaecunque jus, quod defunctus in iis habuit, ex contractu tamen in heredem transitorium est. *L. 3. §. 3. ff. Commod. L. 49. ff. d. Obl. & act. L. 14. L. 22. ff. Depos.* At in fideicommissis Majorum, perinde ut in usufructu, jus omne cum vita interiit, nec adeò in ejus hereditate amplius existit. Rectè & appositè igitur ait *Hartm. Pist. lib. 2.*

F

quest.

15.

Hoc demonstratur
plenius.

16.

Et solvitur dubium.

quæst. 6. n. 3. & seqq. Hoc jus personale, & quoad durationem instar ususfructus esse.

17.

Ac concluditur, non pertinere hujusmodi feuda & fideicommissa tot d. n. boedel van S. K. Maj. van Engeland, maer tot dien van Frederic Henric.

Ex quibus omnibus manifestum est, fideicommissum familiæ, feudum & similia jura avita, in cuiusque persona morte extinguuntur, nec adeò ad heredes ejus, sed ad successores transire. Unde sequitur heredes non posse ea interdicto petere & suæ hereditati asserere, nec successorem ea ex hereditate, in quâ non sunt, sive ex manibus heredis petere, nedum ad id teneri. Atque hinc verissimum est non pertinere ea tot den boedel van S. K. Majest. van Groot Britanien, maer tot den boedel van Prince Frederic Henric.

18.

Ostenditur 10. id usu & praxi Imperii in feudis inprimis receptum esse.

In feudis inprimis id ubique notorii usus est, quippe quæ Vasallus capere potest propria auctoritate, nec ea accipere è manibus heredis testamentarii vel allodialis tenetur: quin magis illa è domini manibus per investituræ renovationem accipere intelligitur; & tamen non tantum ante hanc investituræ renovationem capere propria auctoritate feudi possessionem potest, sed nec tenetur ante renovationem petere, quam possessionem ceperit. *Rosenth. d. Feud. cap. 7. concl. 56. n. 7.*

19.

Maximè si domino apertum sit feudum.

Idemque multò magis est, si domino feudum apertum fuerit: (uti in præsentis casu Sereniss. Regi Borussiae Comitatus Meursensis) nam tum dominus propria auctoritate possessionem feudi vacantis tantò indubitatus ingredi potest; quia & ipse civilem feudi possessionem per Vasallum, hoc superstitè quoque retinet: de quo inter omnes convenire testatur *Rosenth. d. tract. cap. 8. concl. 1. n. 5.*

20.

Eadem II. consuetudo perpetua ostenditur quoque in Comitatus, Principatibus, &c.

Nec minùs perpetua & universalis consuetudo ea est in Comitatus, Principatibus, aliisque primigeniis & fideicommissis illustribus. Tantum enim abest, ut primigeniti suos Principatus ac Comitatus è manu minorum fratrum aut sororum, vel etiam extraneorum, si qui fortè testamento scripti sint, heredum allodialium manu suscipere teneantur, ut contra hi, privatam suam hereditatem magis ab illis: quod

quod ignotum esse nequit iis, qui in Principum negotiis & successionebus versati sunt.

Et quid magis ad perniciem aut exitium hujusmodi successorum Principatus vel Comitatus excogitari posset, quam si illi terras suas, castra, oppida, munimenta extraneis fortè heredibus, fortè potentissimis Principibus, qui à defuncto heredes allodialiter institui potuerunt, per interdictum *Quod Legatorum* cedere, possessionemque eorum relinquere, & tum deinde cum illis contendere tenerentur: quo casu nulla Principatibus, Comitatibus, ac illustribus familiis atrocior pestis, quam hoc interdictum excitari posset.

Atque hæc doctrina inter Dd. receptissima est, quod in utroque casu, sive dominus sive vasallus succedat, latè & luculenter exponit *Giurb. d. Success. feud. §. 2. gloss. 12. n. 11. & seqq.* & tandem ita concludit. *Ex his conclusio juris est, Vasallum, qui se legitimum feudi possessorem putat, posse ante renovatam ejus investituram, propriâ autoritate possessionem capere, NB. Judicis aut alterius licentiâ non petitiâ, in qua manutenendus est ut possessor cum titulo.* Quod multis deinde ampliat. Paria docet *Rosentb. d. tract. cap. 7. concl. 56. n. 6.* *Quòd agnatus feudi capax, possessionem vacantem sine aliâ traditione aut investitura nova, autoritate propriâ ingredi & apprehendere possit, ita ut in ista tanquam verus possessor contra omnes homines defendendus sit, sicut possessor cum titulo.* Idem in casu aperti domino feudi docet, & feudum in persona domini consolidari tum ad dominium tum ad possessionem eleganter tradit, ac pluribus probat *Giurb. d. gloss. 12. n. 36. declarat. 5.* Quod ipsum quoque in primigeniis & Majoratibus probat *Lud. Molin. d. tract. Lib. 1. cap. 14. n. 11. & seq.* ubi id adeò tanquam indubium censetur, ut tantum quærat, an secundus fideicommissarius & successor jure directo succedant. Quod rectissimè negatur, per ea quæ *supra* dicta sunt.

21.
Et 12. Quàm periculosa sit sententia contraria.

22.
Ratio 13. ex communi Dd. sententia, eorumque autoritate.

Atque ita quoque Dd. comm. distinguunt inter fideicommissarium primum, qui è manu heredis capit; & secundum ac ulteriores, qui sine facto heredis succedunt, & ipso jure actiones utiles acquirunt. *Fusar. d. subst. quæst. 605. n. 6.* Et ita decisum à *Rot. Rom. testatur Statilius Pacificus, tract. de Salvian. interd. dec. 28.* Quin *Carolus de Mean, obs. 97. n. 12.* etiam de primo fideicommissario asserit, hodiè passim in summis Tribunalibus ad evitandum circuitum immitti interdictis possessoriis, ut nec opus sit illi ea capere de manu heredis.

23.
Conclusio.

Ex quibus omnibus planè evidentissimum est, Serenissimum & Potentissimum Regem Borussiae in possessione Comitatus Meursensis & Lingensis omninò tuendum esse.

CAP. III.

De foro hujus causæ.

1.
Causa hæc quam per plures populos diffusa, ideoque forum ejus ambiguum sit.

TAm latè per omnem Europæ partem, plurimosque in nullum commune Imperium coactos populos, sparsa sunt hujus successionis bona, quædam etiam suæ potestatis, nullique alii obnoxia, ut forum hujus causæ haut parum ambiguum videatur: maximè cum metiri illud legum civilium præscriptis non liceat; causâ quippe per plures sui juris populos divisâ, inter quos juris mercæ civilis communio non intercedit. Paucissimis igitur hunc quoque articulum attingere visum est.

2.
Distinguendum imprimis esse inter possessorium & petitorium. Possessorii forum certum esse locum rei sitæ.

In primis verò causa proprietatis & possessionis, seu, ut vocant, petitorium & possessorium, invicem separanda sunt. Forum in causa possessionis ipsa naturalis quoque ratio satis definit, eaque in re Juri Romano plenissimè adstipulatur. Certum enim est, immisiones in rei possessionem non posse fieri nisi ubi res est, nec decerni, nisi ab eo cujus imperio subjecta est, inhæret enim Jure Gentium Jurisdictio terræ,

terræ, omnibusque ejus partibus, quàm proinde turbaret ac involaret potestas extra territorium illud posita, si in res ibi sitas aliquem jurisdictionis actum exercere vellet. In possessorio igitur forum legitimum erit locus rei sitæ, quod & expressè Jure Communi ita statutum est in *L. un. C. ubi de poss. agi op. L. un. princ. C. ubi de Hered. agi op.* Neque ex hac varietate Jurisdictionum præjudicium fit juri, quippe quod, non obstante possessione partibus salvum est. Cæterum in terris nulli potestati subjectis cessare omne judicium facile intelligitur.

Verùm de causæ principalis seu petitorii foro major est difficultas. Equidem jure Civili in causis proprietatis cum foro rei sitæ concurrere forum commune domicilii notissimum est; In hac verò causa neutrum forum locum habere posse pluribus rationibus evincitur.

3.
Principalis autem causæ forum nec locum rei sitæ nec domicilii in hac causa esse posse.

